Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Caspar Mauritius

Caspari Mauritii, SS. Th. D. P. P. & Superint. Rostochiensis, Decas Exercitationum In Formulam Concordiae, Habitarum In Academia Rostochiensi. Quas claudit Confeß. Lunaeburgensis ann. 1561

Rostochii: Kilius, 1654

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730401073

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Pr. 368 p. — 2
217 p. — 2

F. g. — 3834 1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730401073/phys_0002
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730401073/phys_0003
DFG

CASPARI MAURITII
SS. Th. D. P. P. & Superint.
Rostochiensis,

DECAS EXERCITATIONUM IN FORMULAM CONCORDIÆ,

Habitarum
In Academia
Rostochiensi.
Quas claudit Confess. Lunæburgensis Ann. 1561.

1. Cor. 1, 30:
CHristus JEsus factus est nobis sapientia à DEO, justitiaq; & sanctificatio & redemtio.

M. Johannes Stephani Anno 1666.

ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LIV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730401073/phys_0005
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730401073/phys_0006
DFG

CLARISSIMIS VIRIS,

FRATRIBUS GERMANIS

DN. CHRISTOPHORO HENNINGS, Med. Doctori experientiſs.

DN. JOHANNI HENNINGS, J. U. Doctorando conſultiſs.

DN. FRIDERICO HENNINGS,

AMICIS MEIS GERMANIS

Sal. P. P.

CASPARUS MAURITIUS D.

OFfero vobis, Clariſs. & Spectatiſs Viri, Amici exoptatiſsimi, Exercitationes haſce Academicas in Formulam Concordiæ, quarum agmen claudit Confeſſio Luneburgenſis, principium eſt Sacra Scriptura, norma illa omnium fidei controverſiarum unica & ſola, illuminans mentes, flectens voluntates hominum, ut ad Chriſti regnum affectent viam. Ad hanc ducendus & præparandus animus eſt, ſine ea futurus tenebræ meræ, mera caligo, perverſitas mera. Præparandus, inquam, animus eſt ejus, qui Chriſto nondum dedit nomen, ut in gratiæ veniat communionem. Sed hic nos inter & Pontificios graviſſima

agitatur controversia, an apud infidelem & paganum sit concilianda authoritas scripturæ ab authoritate Ecclesiæ, an alunde. Prius acriter tuentur Papistæ: cæterum invita veritate, ut rem propius intuenti manifestum est. Quod si enim mihi cum pagano res sit, cui velim innotescere authoritatem scripturæ, non ab interno Spiritus Sancti testimonio, quod accipiunt & habent fideles sibi, quo sciunt firmissimè, sensus sacra scriptura expressos esse divinos, nec ab authoritate Ecclesiæ mihi ordiendum erit, sed ad exemplum Pauli communibus principiis præludendum & primum sub lumine naturæ instituendus erit discursus, utendumq; argumentis quibusdam inducentibus & motivis, quibus disponatur animus pagani ad cognoscendam & perpendendam scripturam. Inter illa primum locum obtinet necessitas revelationis, seu dari necessario aliquam revelationem, quod evincet partim consideratio providentiæ divinæ, quæ homini prospexit de rebus ad corpus pertinentibus, multoq; magis de iis, quæ animam partem hominis nobiliorem concernunt; partim id persuadebit consensus omnium gentium. Nulla enim gens fuit, quin in rebus ad religionem & sacra spectantibus Oracula consuleret & jactaret revelationes. Hoc evicto, Deum

Act. XIV. 15. & XVII. 23. & seq.

Deum voluntatem ſuam revelaſſe, ulterius progredior, & religionem Ethnicorum oppugnandam mihi ſumo, tanquam adverſantem rectæ rationi, dum non tantum multitudinem Deorum dearumq; invehit, ſed & de iis, ut loquitur Auguſtinus, turpia fingendo ſeminat, ſtupra, inceſtus, adulteria, cædes memorat, imo Deos ſtupris, adulteriis atq; homicidiis colendos eſſe ſtatuit, ut alia hic taceamus abſurda Ethnicæ religionis pagano ὀφθαλμοφανερῶς demonſtranda. Hic oportune requiſita veræ religionis explicabuntur, quorum I. eſt, ne falſa, abſurda, turpia doceat aut fieri jubeat: II. eſt, ut non ſit nova, ſed cum humano genere cœperit, duretq; qvantiſper hominum genus duraverit. III. ut ducat ad pietatem & honeſtatem, ſeu, ut in illa verus Deus Creator & Gubernator omnium rerum ſolus agnoſcatur & colatur; item, ut in eâ ſola explicetur vera ratio, per quam cum DEO reconciliari homo peccator poſſit, deniq; ut vera & perfecta officia erga Deum & proximum præſcribat. Sed hæc hæc omnia examuſſim, conveniunt Religioni Chriſtianæ. Aut ergo hæc vera eſt religio, aut nulla in orbe eſt religio vera. Sed conſequens falſum. Patet connexio Majoris: nulli enim religioni, præterquam Chriſtianæ, hæc πτμήελα competunt

Vid. lib. VI. de Civ. d. cap. 5. &

petunt ut rem examinanti manifestum. Hæc omnia ubi admiserit, vel saltem convellere nequiverit paganus, ut quibus opponere se nullo modo nullaq; idonea ratione potest, postea Scripturam profero, & hanc ipsam esse ostendo, quæ veri DEI veras & excellentissimas revelationes contineat, seu, quæ sit 1. Thess. II. 13. ἀληθῶς verbum DEI, ut loquitur Apostolus. Nec videtur expeditior esse via ad eam rem probandam, quam ut à notis cujuscunq; historiæ veris & certis initium fiat. Si enim illæ notæ, quibus certidudo historiæ circum scribitur, in scripturam cadunt, hoc est, si constat historiam esse certam, eodem negotio constabit, eam esse θεόπνευστον, quia ipsa sibi ubiq; suæ divinitatis testimonium amplissimum præbet, ut loquitur in Leidensibus disp. Walæus. Qui ex Arriani præfatione lib. 1. de expeditione Alexandri M. κειμήλια veritaris historiarum colligit tria: I. *si illi qui scribunt sint personæ fide dignæ*, II. *si actionibus, quas scriptis mandant, ipsi interfuerint*, III. *si neq; necessitas neq; merces eis proposita fuerit, quare aliter, quàm accidisset, scriberent*: & quartum ex Josephi lib. 1. cont. App. addit, *si de eisdem rebus eadem omnes scripserint*. Hæc κειμήλια si quis ad Scriptores sacros applicaverit, luce meridiana clariu

Synopsi. disp. II. Th. XIII. seqq.

rius apparebit, religionem nostram certam, imo certissimam esse. Addantur hic vel repetantur notæ religionis supra positæ & ad Scripturam accommodentur, ubi inprimis considerandum venit, inter tot Satanæ & potentissimorum Monarcharum molitiones & odia infinita religionem tamen Christianam per piscatores mirandum in modum propagatam, in hunc usq; diem perstitisse. Deniq; expendat paganus miracula omnem creatam potentiam longè excedentia, creationem mundi è nihilo factam spatio VI. dierum, hominem è terra factum, DEUM esse Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, Filium DEI incarnatum morte sua genus humanum redemisse, resurrexisse, adscendisse ad cœlos, rediturum ad judicandum vivos & mortuos, resurrecturos mortuos & accepturos præmia vel supplicia æterna: consideret prophetias & vaticiniorum stupenda complementa, dulcissimas efficacissimâsq; promissiones & consolationes, comminationes item: tandem convertatur ad effecta scripturæ planè divina, in quibus familiam ducit fuga diaboli, & silentium oraculorum statim post propagatam Evangelij lucem. Nec inutile fuerit styli simplicitatem, majestatem & leges easdem latas subditis & regibus &c hic pagano proponere atq; explicare. Horum omnium tanta vis est, ut à prudente nemine rejici, quin generare in animo pagani fidem humanam possint. Aut enim hæc omnia revelavit DEUS,

aut creatura. Si hæc, aut bona aut mala. Mala si id tentaret, propria vineta cæderet. Sed neutra id præstare potest, quod potentiam & vires creaturæ cunctas longissimè supergreditur. Nec dubitandum est, quin, si ad eum modum paganus expendat revelationes, ipsa scriptura, cui attendit, vi sua & gratia Spiritus Sancti (qui meditationibus hisce indubitato se inseret) quam inditam Scriptura habet, sit in animo pagani fidem salvificam effectura. Quod de pagano dico, idem omissis omittendis ad Mahometistam quoq; pertinet, qui Prophetarum & Apostolorum scripta suo modo probat, sed præfert iis Alcoranum. Sed hic novus est, nec habet quicquam commune cum Scripturis sanct.s, quarum hæc indoles est, ut semper scriptura prædens prædicat futuram. Sed concluditur scriptura Ebr. 1. 1. Apoc. ult. Adde absurda Alcorani. Sed & cum Judæo ex promissionibus in V. T. factis atq; in N. completis non infeliciter citra authoritatem Ecclesiæ agi, probat non tantum primitivæ Ecclesiæ, verum etiam recentius Judæi cujusdam Gersonis exemplum, qui baptizatus Halberstadii Anno 1600. in Epistola, quam suo de doctrina Thalmudica præmisit libello, solius N. Testamenti in Germanicam linguam versi lectione fortuitâ se perculsum scribit & conversum Ergo ipsa Sacra Scriptura in animo infidelis fidem sibi facit. Neq; enim tali potest obijci authoritas Ecclesiæ, quippe quam planè non cognitam

gnitam habet, nec habere prius potest, quam ipsi Scripturæ assentiatur, docenti, *Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis &c.* Hoc ut melius intelligitur, notandum, duplicem Ecclesiæ authoritatem esse, unam externam, alteram internam. Externa est, quatenus ipsa videlicet est hodie multitudo & congregatio amplissima, & nobilissima, complexa florem generis humani. Alia est interna & Ecclesiæ propria authoritas, quæ ei competit per peculiarem gratiam, directionem & adsistentiam Spiritus Sancti, per quam fit, ut Universa in rebus ad salutem necessariis errare nequeat. Internam paganus planè, ut dixi, ignorat, nec nisi ex scriptura, notam habere potest, externa autem tanti non est, ut propter eam credat paganus iis, quæ in Scriptura proponuntur. Fatemur quidem, per Ecclesiæ externam authoritatem commoveri pagnum posse, (quomodo Augustinus, *non crederem*, inquit, *Evangelio, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret authoritas*) vel Ecclesiæ authoritatem posse ei occasionem præbere, ut arbitretur, se prudenter facturum, si inquirat in religionem Christianam, ut pote quam tot Viri sancti, docti, sapientes amplectuntur. Quo casu Ecclesiæ incumbit testari de Codicibus sacris, quibus

Cont. Epist. Fundam. cap. V.

quibus revelatio divina comprehensa est, invitare ad legendum, operam deniq; in explicando præstare. Sed propter Ecclesiæ testimonium vel authoritatem non credet paganus, & si crediderit, fidemq; ex Verbo Dei hauserit salvificam, idem ipsi continget, quod Samaritanis, qui quidem propter indicium mulieris (notârunt enim Veteres in hac Samaritide esse Ecclesiæ figuram) credidisse dicuntur in Christum, qui tamen ipsi mox fatentur: *Non amplius propter sermones tuos credimus: ipsi enim audivimus & scimus hunc esse verè Servatorum illum mundi Jesum Christum*, hoc est, explicante Alberto Magno, *non jam propter humanam rationem credimus, quamvis per illam inducti simus: sed ipsi veritati propter se & super omnia adsentimur.*

Joh. IV. 39. f.

Sed de his satis, vel etiam plus quam satis. Ad vos redeo, Viri Clariss. iidemq; amicissimi, & vestro nomini Exercitationes, quas videtis, inscribo. Quæ res jucunda mihi est, nec vobis, ut arbitror, erit molesta. Quoties enim amicitiæ nostræ incrementa recordatione prosequor, toties veram voluptatem quæ mutui amoris pedisequa est, animo complector. Accedunt amoris illa documen-

re, quæ Optimi Parentes vestri beatæ memoriæ, quos nuper acerbissimus vobis mihiq; casus uno velut funere extinxit, ut quos suavissimi convictus conjunxerat vinculum, mortis quoq; societas divino planè nutu copularet, vobiscum ubertim repræsentârunt. Accipite ergo hoc amoris nostri πιμήλιον ea manu & mente, qua offertur, hoc est, amicâ. Deus vos diutissimè servet valentes, omniq; genere bonorum, quæ homini, quæ Christiano optare fas est, reddat florentissimos.

Rostochii IIX. Novemb. Anno
clɔ Iɔ cLIV.

IN FORMULAM CONCORDIÆ EXERCITATIO PROOEMIALIS, DE NORMA FIDEI CONTROVERSIARUM.

Quam

DEO OPT. MAX. DIRECTORE,

ex prælectionibus privatis

Viri admodum Reverendi, Amplissimi & Excellentissimi

DN. CASPARI MAURITII,

SS. Th. D. P. P. & Past. Mar. nec non Rostochiensium Ecclesiarum electi Superintendentis longè dignissimi, depromptam;

Eodem Præside & consentiente amplissima Facultate Theologica,

Placidæ ventilationi subjicit

Ad diem . Martii

PETRUS Scheele /

Prezâ-Holsatus.

ROSTOCHII,

Exscripta Typis NICOLAI KILII,

Acad. Typogr. Anno 1654.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730401073/phys_0017

DFG

DEO DUCE!

PROLEGOMENA IN FORMULAM CONCORDIÆ.

I.

Occasionem primam conscribendæ huic Formulæ subministravere dissidia Theologorum, qui Augustanam Confessionem sequebantur; nata tum ex libro Interim, virus Pontificium in multis articulis occulente, inprimis in articulis de Conversione hominis, de Justificatione, quæ præcipuè fit fide, de necessitate bonorum operum ad salutem, de Adiaphoris sive Ceremoniis Pontificiis, de quibus infra speciatim agendum erit, tum ex nova Catechesi Vitebergensium Theologorum Casp. Crucigeri, Henrici Molleri, Christophori Pezelii, Friderici Widebrami, & eorundem libro alio de Persona & Incarnatione Christi, quem Grundfest inscripserunt, itemq; exegesi de Cœna Domini, Lipsiæ edita, in quibus non obscurè ampliùs, ut antea annis sat multis, sed palam à B. Lutheri confessione de Cœnâ Domini, & nonnullis aliis Doctrinæ sanæ capitibus discedebant, & nominatim D. Brentii, D. Wigandi, D. Chemnitii

D. Jacobi Andreæ *Confessiones de Persona & Majestate Christi, deq; Communicatione Idiomatum damnabant. Accessere convitia adversariorum, inprimis Papistarum, qui calumniabantur, mutatam esse Confessionem Augustanam, ut nemini constet amplius, quænam vera sit & germana, vix duos reperiri Theologos Confessioni Augustanæ addictos, qui per omnia eandem doctrinam teneant, ac defendant.*

2. *His calumniis pariter & dissidiis occursurus* Augustus *Elector Saxoniæ augustissimus, duodecim Theologos in arcem* Lichtenberg *convocari curavit, iisq; mandavit, ut remedia circumspicerent tollendis dissidiis & profligandis calumniis idonea. Horum secutus consilia re cum aliis Principibus communicata, ex Academiis Tubingensi, Francofordianâ, Rostochiensi & Ecclesia Brunsvicensi, eq; suarum ditionum Academiis & Ecclesiis præcipuis Theologos Torgam Anno 1576. mense Majo convocavit, iisq; inter cætera Formulam quandam Concordiæ à* Julio *D. Brunsvicensi sibi missam, & simile scriptum à* Ludovici *D. VVirtenbergensis,* Caroli *Marchionis Badensis &* Georgii Ernesti *Principis Hennebergensis Theologis Maulbronnæ confectum proposuit. Cum autem de Articulis controversis inter Theologos Torgæ convocatos Dei beneficio convenisset, & controversiarum declarationes atq; decisiones scripto communi comprehensæ, omniumq; subscriptione confirmatæ essent, Elector Saxoniæ scriptum illud ad reliquos ordines Protestantes misit, Censuræ ulteriori subjiciendum. Quo facto Elector sex Theologis primariæ Autoritatis,* D. Jacobo Andreæ,

dreæ, D. Mart. Chemnitio, D. Andr. Musculo, D. Davidi Chytræo, D. Nicol. Selneccero, D. Christoph. Cornero *ad Bergense cœnobium Anno 1677. mense Mart. convocatus mandavit, ut secundum judicia & censuras transmissas formulam Concordiæ examinarent, eiq; extremam imponerent manum. Id quod à præfatis Theologis summa fide & dexteritate curatum est.* Cumpleriq; emendatioris doctrinæ præcones subscripsissent, (*verba sunt Cl. Cluveri Epist. hist. p. 738.*) regnorum Borealium Ecclesiæ, itemq; per Germaniam non paucæ, litium immunes, quibus sopiendis concordia quærebatur, aut sola in Augustana Confessione acquiescentes, subscriptionem detrectarunt, interim à dogmatibus Formula comprehensis neutiquam alienæ.

PROOEMIUM FORMULÆ CONCORDIÆ.

PROOEMII OCCASIO.

PRoœmio concipiendo occasionem subministravit tum Pontificiorum aliorumq; adversariorum intemperies, clamantium, Augustanam Confessionem & scripta Lutheri à nobis pro quinto Evangelio haberi & sacris literis vel præponi vel æquiparari; tum Philippistarum ef-

frons insolentia, quibus scripta Lutheri fordebant; inq; oculis & deliciis erat corpus doctrinæ Philippicum, quod velut normam formamq; cœlestis doctrinæ obtrudere Ecclesiis Augustanam amplexis Confessionem miris modis summoq; studio conabantur. Quæritur ergo, quænam sit norma omnium fidei controversiarum.

THESIS.

SOla sacra scriptura Canonicis scriptis comprehensa est norma ac regula, juxta quam omnia dogmata omnesq; Doctores judicari debent: reliqua vero scripta Ecclesiastica sive symbolica, quanquàm ea non sint unius generis, nec æqualis authoritatis, tamen ita subjiciuntur Scripturæ, ut non nisi testium loco recipiantur.

§. 1. Sicut in aliis scientiis, quarum principium est lumen naturæ, conclusiones syllogismorum vel φυσικῶς vel λογικῶς probantur, adeoq; à præmissis dependent, quæ vel causam continent συμπερασματος καὶ πραγματος sive consequentiæ pariter & rei, ut fit in syllogismis demonstrativis gignentibus scientiam immotam, vel tantum consequentiæ principia sunt, non rei, quales

quales sunt præmissæ syllogismi dialectici gignentes opinionem: consimilem in modum in Theologia, (quatenus ea est habitus practicus ex certo principio complexo probans, explicans, defendens, vel, si mavis, scientia Practica è revelatione divina sacris literis comprehensa docens, quo pacto ad æternam felicitatem sit perveniendum) conclusiones pendent vel à principio apodictico & velut scientifico, quod & rem & syllogismum adeoq; fidem immotam per se efficit, vel ex principiis logicis sive Dialecticis, causantibus non rem ipsam, sed tantum conclusionem, adeoq; per se gignentibus opinionem, cui potest subesse falsum.

§. 2. Sola sacra Scriptura canonica est principium conclusionum Theologicarum apodicticum, quam normam sive regulam appellamus. Sola enim est ἀυτόπιστος, sola causa fidei per se, quæ ab universis admittitur, quotquot lumen revelationis divinæ admittunt, sola ἀναπόδεικτος, quæ à priori per discursum demonstrari nequit, sed tantum efficacia divina percipituratq; tenetur. *Sacris Scripturis, quæ Propheticis & Apostolicis literis continentur, nihil est notius, nihil certius, ut stultissimum esse necessum sit, qui illis fidem esse habendam neget*, verba sunt Bellarm. lib. 1 de verb. D. cap. 2. Et cap. 1. *Prophetici & Apostolici libri sunt verum verbum Dei & certa ac stabilis regula fidei.* Nempe talia debent esse principia apodictica necessario vera, immediata sive indemonstrabilia, priora, notiora. Talis esse debet regula, quæ sit

nota ac facilis, Suar. Metaph. p. 2. d. 11. ſ. 3. conſiſtens in indiviſibili, ut nec minimum augeri minuive poſſit, præterea ἀδιάψευστος, abſolute infallibilis, ſive, ut Bellarminus loquitur, *certa & ſtabilis*, deniq; authentica, ut à ſe eam vim habeat, idq; ſemper. Quæ in ſolam quadrant ſcripturam. Hoc enim principium apodicticum: *Quicquid Scriptura dicit, verum eſt*, facile eſt, quoad neceſſaria ad fidem & mores, quæ aperte in Scripturis extant, *notum eſt, ſic ut nihil notius eſſe poſſit*, fatente Bellarmino, eſtq; omnis mutationis, additionis & demtionis (heterogeneorum) expers, Deut. XII. 32. Gal. I. 8. Apoc. XXII. 18, 19. deniq; certum ſtabile, & authenticum eſt, *ut nihil eſſe certius poſſit*, fatente Bellarmino, ex quo certa determinatio omnium fidei controverſiarum peti poteſt debetq;. Præter hoc Principium nullum eſt principium indemonſtrabile, nulla norma certa & ſtabilis: adeoq; quicquid cum hac regula non convenit, quamcunq; alias habet ſpeciem, aberratio eſt & anomalia, quicquid autem conſentit, admittendum eſt ad fidem Chriſtianam.

§. 3. Apoſtolicum Symbolum, ſi conſtaret certo, ab Apoſtolis in orbem digredientibus eſſe compoſitum, ejusdem cum Scriptura authoritatis eſſet. Interim ſi non Authore, tamen re & prope verbis plane divinum eſt. Scripta vero alia quæcunq;, quæ ſunt indubitato ab hominibus ſine immediato afflatu divino profecta, ſive Symbolica in ſe ſpectata, ut Symbolum Nicenum, Athanaſia

nasianum, Augustana Confessio, totusq; adeo liber Concordiæ; sive non Symbolica, qualia sunt scripta Patrum, Lutheri, Philippi, non sunt principium apodicticum conclusionum credendarum, nec sunt norma absolutè infallibilis, sed sunt veritatis testes, quorum Judex absolutus & authenticus est Spiritus Sanctus in Scripturis & per Scripturas loquens Joh. XII. 48. XIV. 26. Dico, in se spectata; nam si considerentur symbolica scripta, quatenus sunt approbata ab omnibus Christianis, infallibilitatem habent, sed à Spiritu Sancto & Scripturis dependentem. Recte Cl. Hulsemannus sup. brev. cap. 1. th. 14. *Interpretatio Objecti ad salutem creditu necessarii proposita à Concilio generali & approbata ab omnibus Christianis, est quidem infallibilis, & facit fidem infallibilem, sed divina fide creditur à priore ideò, quia Spiritus S. credenti intus confirmat, hanc Interpretationem non solum esse veram; sed etiam specie eandem cum conceptu divino significato per verbum scriptum. A posteriore ideò, quia Spiritus Sanctus docet: Universos Christianos circa tale Objectum non posse errare. Matt. XXIV. 24. Quod autem interpretationem Ecclesiæ rectè intellexerim, hoc humanâ fide creditur.* Unde manifestum est, non esse uniús generis scripta ecclesiastica. Quæ enim Symbola universalis sive totius Ecclesiæ Catholicæ consensu ac calculo sunt approbata, ea majorem habent authoritatem reliquis Symbolis, quæ paucarum tantum particularium Ecclesiarum sunt propria, magisq; æstimamus, &

præferimus cæteris ea, quæ in ipsis Imperii comitiis imperterrito offerentium animo confuderunt adversarios, item ea, quæ à præcipuo aliquo heroe Ecclesiæ & Spiritus S. organo sunt edita. Quare in testificatione veritatis primas jure merito deferimus Symbolis universalibus; secundas tertiasq; Augustanæ Confessioni ejusq; Apologiæ, Articulis Smalcaldicis, Catechismis Lutheri Minori & Majori: postremas solidæ decisioni articulorum controversorum libro Concordiæ comprehensæ.

ANTITHESIS.

§. 1. Errant igitur Pontificii, *qui aliam normam præter Scripturam nobis obtrudere conantur.* Fatentur quidem, sacram Scripturam esse normam, secundum quam dijudicari debeant dogmata, sed partialem. Totalem enim normam agnoscunt Verbum scriptum & non scriptum. De quo infra.

§. 2. Sed & circa verbum scriptum errant, dum *corruptos esse fontes, & libros quoq; Apocryphos Veteris Testamenti habere authoritatem divinam probandi articulos fidei*, asserunt. At corruptionem nullam locũ habere evicit Cl. Glass. in part. 1. Phil. sac. Quin etsi errores quosdam irrepsisse ponas, *non tamen illi tanti sunt momenti, ut in iis, quæ ad fidem & bonos mores pertinent, scripturæ sacræ integritas desideretur*, judice Bellarmino lib. 2. de V. D. cap. 2. §. ult. Manet ergo authentica fontium majestas, ad quam examinandæ omnes versiones cujuscunq; sint authoris & antiquitatis. Versiones fontibus æqua-

æquare aut anteferre, quod fecêre Tridentini, insaniæ proximum fuerit. Ejusdem dementiæ est, Apocryphos æquare Canonicis. Nam de illis non constat indubitato, quod Deum habeant authorem. Adde quod absurda & falsa quam plurima contineant, nec à Christo, Apostolis & prisca Ecclesia pro Canonicis habita sint. Atque hic se prodit desperata causa Papatus, quod, cum alias Patrum consensum crepent, in assignatione Canonis tamen, quam magno consensu clarissime tradunt Patres, judicio Ecclesiæ priscæ & Patrum stare nolunt, omniaq; à præsentis Ecclesiæ definitione suspendunt, & certo sciri non posse dicunt, an Patres vel concilia unquam exstiterint, & aliquid definiverint, nisi id ex præsentis Ecclesiæ definitione cognoscatur. Sequitur ergo, quando per integrum seculum nihil tale definitur, nihil in Ecclesia definitum esse, imo nihil certi definiri posse, eo quod Ecclesia, hoc est Pontifex in quæstionibus facti non sit infallibilis, ipsis fatentibus Papistis.

§. 3. Præterea immanem errorem errant, quando vel verbi scripti authoritatem & veritatem in genere, vel in specie interpretationis loci hujus vel alterius veritatem ab Ecclesiæ definitione suspendunt. Quod ut pateat, distingvimus inter fidem humanam & divinam, sic dictam, non tantum ratione objecti in divinis literis contenti, verum etiam ratione principii credendi. Est nempe fides divina (quæ secundum se apprehensiva non

non discursiva) assensus divinus à Spiritu Sancto accensus, tanta constans certitudine, ut omnem excludat dubitationem propter authoritatem Dei revelantis. Si ergo quæritur de fide divina & salvifica, dicimus principium internum & per se fidei divinæ, qua credo, quod scriptura dicit, non esse definitionem vel testimonium Ecclesiæ sive veteris sive recentis, non consensum Patrum, non veracitatem Ministri vel Doctoris, sed convictionem & obsignationem Spiritus Sancti, I. Joh. V. 10. I. Thess. II. 13. Quod si enim illi, qui Apostolos audiebant, non tamen ideo fide divina credebant, quia ipsi illud prædicabant, sequitur, nec hodie propter authoritatem hominum fide divina credi. Adde elogia verbi Rom. I. 16. Ebr. IV. 12. quæ evincunt vim verbi tantam, ut convincere de veritate divinissima possit eos, qui malitiosam resistentiam non opponunt. Summa, ipsa revelatio fide divina creditur ut revelata, non per aliam revelationem, sed per seipsam, sicut solis lumen per se videtur. His adde ipsam confessionem adversariorum. Quod Scholastici communiter docent, rationem, quare assentiamur omnibus credibilibus, esse, QUIA DEUS DIXIT, id ita explicat Becanus tract. de Fid. cap. I. q. II. n. 4. *Materiale objectum fidei est id, quod creditur propter aliud, nempe propter primam veritatem revelantem. Formale est id, quod non creditur propter aliud, sed est ratio credendi aliud. Potest quidem credi propter se, sed tamen non propter aliud, v. c. Mysterium*

Tri-

Trinitatis est materiale objectum fidei, quia creditur propter primam veritatem revelantem. At prima veritas revelans est objectum formale, quia non creditur propter aliud, sed propter se & simul est ratio credendi aliud. Vide quæ habet de testimonio divino Greg. de Valent. Tom. I. Disp. I. quæst. I. punct. IV. Bellarm. lib. 6. de grat. & l. arb. cap. 3. fatetur *argumenta, quæ articulos fidei nostræ credibiles faciunt, non talia esse, ut fidem omnino indubitatam reddant, nisi mens divinitus adjuvetur* Et lib. 3. de justif. cap. 3. *Probatio Ecclesiæ facit ut omnibus innotescat, objectum illud esse revelatum à Deo, & propter hoc certum & indubitatum: non autem tribuit firmitatem Verbo Dei aliquid revelantis.* Hæc saniora sunt quam illa Gretseri: *Velis nolis*, inquientis, *authentica non est scriptura respectu nostri & in actu quasi secundo, nisi per Ecclesiæ testificationem.* Hic n. manifestus est circulus, si dicamus, Ecclesiæ authoritatem internam non credi fide divina nisi propter authoritatem Scripturæ, & hanc rursus fide divina non credi, nisi propter Ecclesiæ authoritatem. Sic enim non ad hominem sed absolutè procedendo unum alterius est διότι, eademq; conclusio erit natura prior & posterior præmissis. Nempe non quæritur, quibus mediis possit nobis innotescere, Scripturam esse authenticam, sed unde sit authentica quoad nos: Illud est τὸ ὅτι, hoc vero τὸ διότι. Relinquitur ergo, authoritatem Scripturæ majorem esse authoritate Ecclesiæ, & hanc ab illa pendere, non contrà. Id quod ex ipsis

ipsis terminis patet. Authoritas enim est virtus movendi ad assensum & obsequium orta à perfectione authoris. Unde efficitur, quanto major est perfectio ejus, qui rem credendam vel amplectendam proponit, tanto majorem quoq; ejus authoritatem esse. Cum autem infinita sit Dei perfectio, necessum est, ejus, quod à Deo authore proficiscitur, sive sit vox, sive scriptio, maximam authoritatem esse. Quod si ab Ecclesiæ authoritate pendet authoritas Scripturæ, tum id erit vel apud fideles vel apud infideles. At non apud fideles; hi enim Scripturam jam acceptârunt ut vocem ipsius Dei. Non etiam apud infideles, quia illi authoritatem internam Ecclesiæ non agnoscunt. Ergo prorsus ab Ecclesiæ judicio non pendet authoritas Scripturæ. Cæterum, sicut institutio parentum, conversatio piorum, aliaq; argumenta à majestate objecti &c. deducta, possunt esse occasio & ratio extrinseca credendi, quæ fidem humanam gignere, & scripturæ θεοπνευστίαν probabilem reddere queunt: sic facile largimur Ecclesiam quoq; esse (non quidem principium causans, sed) motivum fidei, quod infidelem, sed docilem nec resistentem, eo perducit, ut incipiat præclare sentire de sacris literis, iisq; contenta penitius expendere, cui conatui non deerit efficacia sacris insita scripturis & hæc fidem divinam de divinitate scripturæ gignet. Atq; hoc testimonium Ecclesiæ non quidem est verbum non scriptum (est quippe factum Ecclesiæ priscæ & sequentium) parit tamen

certi-

certitudinem moralem tâm perfectam, ut contradicere amentiæ sit species. Mendoza Disp IIX. de An. sect. 3. §. 18. *Testimonium tot gentium consentiens & perpetuum credi dicit evidentia physica, innitente repugnantiæ physicæ, quia impoßibile sit, physicè loquendo tot homines tot seculis esse mentitos.* Est tamen hic diversa ratio Ecclesiæ antiquæ & hodiernæ. Antiqua enim præcipuum medium dicendum est cognoscendæ sacræ scripturæ, testis nempe eorum, quæ videt & audivit, adminiculis prædita tum ordinariis tum extraordinariis, per quæ certo distingvere potuit humano constantia spiritu à scriptis sacris & divinis. Ecclesia hodierna etiam medium est cognoscendarum sacrarum literarum, dum testimonium Veteris Ecclesiæ sequitur, tantumq; depositum fideliter commendat, exponit, applicat. Ecclesia vero Papistica non est causa infallibilis fidei, neq; in eam fides effective resolvi potest: quia productio fidei est *ab alta & secreta vocatione*, ut eam Bellarminus appellat lib. 1. de grat. cap. 13. de qua nemo esse certus potest. Utut vero hæc ita se habeant, Ecclesia tamen non est absolutè necessarium medium cognoscendi scripturas. Sufficit quandoq; propositio particularis sive personalis sive realis puta, si quis forte incidat in sacras scripturas &c. Stapletonus lib. 8. de princ. Doctr. *adeò dicit esse efficax infusæ fidei donum, ut poßibile sit absq; magisterio & autoritate Ecclesiæ per solam fidem infusam actu credere omnia credenda.* Ergo etiam authoritatem

Eccle-

Ecclesiæ: nam & hæc inter credenda & secundum Staplet. lib. 9. cap. 4.

§. 4. Deinde falsi sunt Pontificii, statuentes, *ultimam rationem cur credatur, hanc interpretationem loci Scripturæ esse veram, esse authoritatem & testimonium Ecclesiæ:* item, *præter verbum scriptum opus esse verbo quodam non scripto, ut intelligatur verbum scriptum.* Quod posterius ideo quoq; urgere solent, ut evincant verbi non scripti necessitatem, & scripti imperfectionem. Verum id non arguit scripturam esse normam partialem & imperfectam, sed calumniatur non satis clare scriptam, quam calumniam ipsa scriptura demonstrans suam claritatem fortissime profligat. Cæterum immanis est principii petitio, cum dicunt, scripturam quidem in aliis esse subobscuram, ut egeat interprete infallibili, hoc tamen clarè docere, quod potestatem judicandi infallibiliter de locis obscuris visibili ejusdem judici & interpreti detulerit. Prius ut intelligatur, iterum distinguimus inter fidem divinam, sive divinitus accensam, & humanam, sive ex humanis principiis generatam atq; acquisitam. Si ergo quæratur de fide divina, qua credit vel doctus vel indoctus, interpretationem loci Scripturæ fidei articulum continentis esse rectam & conformem Deo revelanti, dicimus, ejus rationem esse convictionem conscientiæ factam per Spiritum Sanctum. *Laici & idiotæ* (verba sunt Cl. Hulsemanni Brev. Ex. supp. cap. I. thes. XI.) *ignari Idiomatis primigenii,*

quo scripti sunt libri sacri, ideoq; impotentes ad examinandas translationes seu versiones Bibliorum, non resolvunt fidem suam salvificam in præsumtionem de veritate translatoris seu interpretis (quod futurum erat, si veracitas & consensus omnium, vel quorundam interpretum generaret fidem divinam) sed resolvunt notitiam quidem suam in rerum & verborum translatorum evidentiam; assensum autem & fiduciam in testimonium internum Spiritus S. tranquillantis & confirmantis conscientiam fidelium laicorum: hæc sancta, hæc vera, hæc salubria & consolatione plena esse, quæ ex auditis lectisve S. Scripturæ verbis hauserunt. Sic idiotæ Corinthiorum etiam fide divina credebant interpretationi idiomatis abs se non intellecti, non propter veracitatem interpretis, sed propter efficacitatem rerum quocunq; sermone prolatarum, I. Cor. XIV. 23. seqq. Quod si quæratur de fide humana, rursum distingvimus inter principium apodicticum & dialecticum. Apodictica sunt vis phraseos, contextus & collatio similium locorum. Rectè Josephus à Costa lib. 3. de Christ. revelat. c. 21. *Nihil perinde scripturam mihi videtur aperire, quam ipsa Scriptura. Itaq; diligens attenta frequensq; lectio, tum meditatio & collatio Scripturarum omnium summa regula ad intelligendum semper est visa. Nam ex aliis Scripturis aliæ optimè intelliguntur. Itaq; obscuram aperta, dubiam certa interpretatur.* Hæc ille. ἑρμηνεῖαι τῶν γραφῶν, sunt verba Servatoris

Joh. V.39. Ut autem hæc principia rectè & salutariter applices & conclusiones fidei feliciter ex principio divinissimo elicias, adhibenda erit cognitio disciplinarum lingvarumq; & inprimis necessaria est cum meditatione ardenti conjuncta precatio & lux Spiritus Sancti, constitutio item animi pii, humilis, docilisq;. Principium dialecticum est authoritas humana, sive testimonium Ecclesiæ, quæ non tantum proponit, sed explicat quoq; scripturas sacras. Verum non ut propositio se habet, sic etiam interpretatio se habet. Qvam rem optimè explicat Cl. Hulsemannus Th. XII. Certitudo notitiæ: *Matthæum Evangelistam esse causam proximam hujus scripti, non est necessarium ad salutem.* (Vid Bellarm. lib. 3. de Eccles. c. 14.) *Nec etiam sequitur: quicunq; testis infallibiliter testificatur: Matthæum esse proximum hujus libri authorem, ille ipse â DEO accepit infallibilem authoritatem interpretandi singula dicta â Matthæo prolata, & hujus unius interpretatio omnibus salvandis satis evidens atq; unice amplectenda est. Objectum enim prioris testimonii est circumstantia historica personæ, de qua cuivis homini non flagitioso creditur, & humana qvidem fide; objectum autem posterioris testificationis est ipsa divina veritas, seu sensus à Spiritu S. per verba intentus. Nec enim Notarius & testes perhibentes: Hoc scriptum est Ambrosii ultima voluntas &c. sunt propterea ipsius Ambrosiani Testamenti unici atq; authentici*

tici interpretes. Nec Synagoga Judaica testificans, Prophetiam Malachiæ esse hujus individui scriptum, non alterius, legitimatur propterea ad infallibilem interpretationem singulorum dictorum Malachiæ. Qvare, nec Patres, nec Episcopi in Conciliis congregati, nec Pontifex principium esse possunt apodicticum interpretationis scripturæ. Non Patres: his enim, quorum scripta hodie supersunt, eaq; , si conferantur cum iis Patribus , qui nihil scripserunt, aut cum illis, quæ perierunt, scriptis, numero longè pauciora & satis corrupta, vel seorsim vel junctim sumtis nullum donum absolutè infallibilis interpretationis vel promissum vel indultum est. *Quis negat* , inquit Bellarminus lib. 3. de V. D. cap. X. *Patres habuisse excellenter donum interpretandi , & tamen præcipuos eorum lapsos fuisse ?* Interim interpretationes Patrum nos haud parvi facimus, quippe qui sic à partibus stant nostris, ut Bellarmino ferè tantum negotii facessant Patres, quantum illi, quos sibi adversarios delegit, ut legenti ejus Tomos manifestum est. Gregorius de Valentia in Anal. p 18. fatetur, *quod Patrum scripta suo modo sint arma utriq; parti communia.* Ex re & vero Wilhelm. Witakerus ad Campianum: *Patres in maximis judiciis toti sunt nostri: in levioribus varii : in paucissimis & minutissimis vestri.* Rectè Thomas Scholasticorum princeps part. I. quæst. I. art. VIII. *Ex solis scripturis*

Canonicis apodictice, ex Patribus vero non nisi probabiliter in articulis fidei concluditur. Et, sacra doctrina authoritatibus Canonicis Scripturæ utitur propriè ex necessitate argumentando, aliorum autem Doctorum Ecclesiæ authoritatibus non quasi arguendo ex proprio, sed probabiliter Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis & Prophetis factæ, qui Canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si quæ fuit aliis Doctoribus facta. Et Biel Lect. 41. in Can. Miss. *Sanctorum Patrum authoritas ad assentiendum ipsorum dictis neminem compellit, nisi in divinis fundata scripturis, aut divinæ innitatur revelationi.* Adde Clem. Apopthtegma Strom. 7. Ubi hominibus testimonium duntaxat tribuit; verbo autem Dei ἀπόδειξιν sive demonstrationem. Quanquam enim scriptura quoq; testari dicatur, Joh. V. huic tamen testimonio vis demonstrandi ineſt, quæ in alio nullo testimonio reperitur. Nec Concilia Episcoporum per se principium esse possunt apodicticum : nam & falli possunt & sæpè ipso facto errarunt. Idem judicium esto de Pontifice seu Episcopo Romano. Hi omnes principium apodicticum & regula veræ interpretationis esse nequeunt. Principium enim apodicticum debet esse prius natura, necessario verum, indemonstrabile, deniq; causa conclusionis. Regula debet esse authentica 1. talis, quæ non aliunde, sed à se authoritatem habeat, facilis

nota,

nota, indivisibilis item stabilis atq; certa. Quorum omnium nihil vel in Patres, vel in Concilia, vel in Pontificem quadrat. Prior enim fuit sensus & interpretatio scripturæ (intelligo sensum intrinsecum & ipsis scripturis αὐτοφυῆ, qui est ipsa scriptura) quam vel Patres essent vel Concilia vel Pontifex: nihil horum, quæ vel Patres dicunt, vel Concilia vel Pontifex, necessario verum est & immediatum sive indemonstrabile, vel causale principium fidei. Deniq; non sunt hi homines, Patres, Episcopi, Pontifex regula authentica (per Scripturam enim Deus loquitur αὐθεντικῶς, per Ecclesiam λειτουργικῶς, quæ duo recte opponit Basilius Hom. de Fid.) facilis, nota, indivisibilis, invariabilis, infallibilis, stabilis atq; certa.

§. 6. Deniq; falsissimi sunt Pontificii, dum *post Canonem completum traditiones de fide & moribus* (nam de historiis & adiaphoris hic non quæritur) *sive verbum Dei non scriptum, hoc est, tale, quod scriptura non contineatur, dicunt extare ad salutem necessarium, & pari pietatis affectu utrumq; recipiendum.* Hinc Bellarminus lib. 4. de V D. Cap. 4. & 12. distingvit regulam *in totalem & partialem. Totalem esse* dicit *verbum Dei, divisum in duas partiales, Scripturam & Traditionem.* Quæ distinctio contrariatur naturæ regulæ, quæ Varino definiente nullam admittit

additionem vel diminutionem; ipsius Bellar. mini hypothesi, qui regulam fidei dicit esse debere unum opus continuum, quod non potest affirmari de verbo scripto & non scripto, quæ tantum abest, ut continuum quid sint, ut ne unum quidem opus sint; deniq; Pontificiis aliis, qui traditiones omnem in se veritatem credendam complecti, omniaq; dubia dissolvere statuunt, quod non nisi regulæ totali competit. Rectius Bellarm. lib. 3. de justif. cap. 8. *Non potest aliquid certum esse certitudine fidei, nisi aut immediatè contineatur in verbo Dei aut ex verbo Dei per evidentem consequentiam deducatur. Fides enim non est, nisi verbi divini authoritate nitatur. Neq; de hoc principio vel Catholici vel hæretici dubitant.* At nulla traditio Papistica de fide & moribus in Scriptura continetur, aut per evidentem consequentiam ex ea erui potest. Hoc enim si esset, utiq; traditio sive verbum non scriptum esse desineret. Tam enim ea sunt in scripturis, quæ per evidentem consequentiam ex scriptura deducuntur, quam quæ totidem literis & apicibus in ea leguntur. Provocare solent Pontificii ad Catholicismum, & pro principio rerum credendarum habent temporis, loci & piorum universitatem, dicentes: *Quicquid semper, ubiq; ab omnibus pijs creditum est, id & nobis credendum est.* Hoc principium & nos con-

concedimus esse à posteriori apodicticum, eo quod Apostolos includit, & fundamentum obtinet in ipsa scriptura, docente impossibile esse, ut in rebus ad salutem creditu necessariis universa Ecclesia erret. Adeoq; hoc principium & nos urgemus contra Pontificios, dicimusq;, nihil eorum, quæ ex verbo non scripto definiverunt Tridentini, omnes (*apertè*, *frequenter*, *perseveranter*) ubiq; & semper tenuisse & credidisse. Et profecto adversariis aqua hærebit, si probare voluerint, vel unam particularem Ecclesiolam in Oriente vel Occidente, olim fuisse vel nunc esse, quæ idem tenuerit & crediderit, quod nunc tenet & credit Romana. Fatemur interim, hunc piorum omnium, quotquot ab Apostolorum tempore fuerunt consensum, si Scripturam seponamus, nullo modo inveniri posse, nec hanc intricatissimam viam litibus finiendis aptam esse. Sufficit nobis ad nostram ὀρθοδοξίαν stabiliendam, quod conformis sit mandatis Christi in scriptura contentis, de credendo & faciendo: Unde ultro sequitur piorum omnium consensus. Quicquid enim conforme est mandatis Christi de credendo & faciendo, id difforme esse piorum consensui nequit. Addimus tamen & hoc, Catholicismum hunc egregiè refutare quinq; regulas Bellarmini, quibus lib. 4. de Verb. Dei, cap. IX. putat nos in cognitionem

verarum traditionum venire. In quibus tamen regulis non docetur discretio traditionum verarum à falsis: sed Apostolicarum à non Apostolicis. At meminisse debebat Bellarminus, se distingvere traditiones, divinas, Apostolicas & Ecclesiasticas. Et quinam debent discernere? omnesne fideles? at hoc fieri nequit, ut omnes evolvant authorum priscorum monumenta. Unde sequitur, plerisq; pendendum esse à judicio pauciſſimorum, quod an cum fidei certitudine stare possit, viderint adversarii ipsi. Pro traditionibus solent allegare locum II. Thess. II. 15. Contra: Omnis traditio Apostolica constat partim sermone, partim scripto. Nulla traditio Papistica constat partim sermone, partim scripto: nam de essentia traditionis est, quod non sit scripta. Ergo nulla traditio Papistica est Apostolica. Sed Bellarmini regulas strictim videamus. Prima est: *quando universa Ecclesia aliquid tanquam fidei dogma amplectitur, quod non invenitur in divinis literis, necessum est dicere, ex Apostolorum traditione haberi.* Si accipiatur Ecclesia universalis de singulis ætatibus μερικῶς, falsa est. Non enim sequitur: ea, quæ singulis ætatibus seorsim consideratis in usu sunt apud Christianos, esse omnia ab Apostolis, nisi addatur, in usu esse apud Christianos omnes ubiq; gentium. At sic regula non habet

habet nisi unam notam Catholicissimi, *Ubique*, à qua non debet separari τὸ *semper*. Ut ergo vera sit regula, intelligenda est universalis Ecclesia ὁλικῶς inde ab Apostolis & Christo ad nos usq;. At sic negatur ullum fidei dogma ubiq; & semper creditum esse ab omnibus, quod non sit scriptum. Secunda est: *quando universa Ecclesia aliquid servat, quod nemo constituere potest, nisi Deus, & nusquam invenitur scriptum, necesse est dicere, ab ipso Christo & Apostolis esse traditum.* Hæc debet de dogmatibus intelligi, quæ de jure nemo potest constituere nisi Deus. Formale enim objectum fidei est prima veritas & revelatio divina, unde rectè concludit Biel, *non posse fieri additionem fidei per novum articulum ab Ecclesiâ vel Pontifice.* Et sic coincidit cum regula prima, de qua dictum. Quod si ad ritus extendatur, negamus eos tales esse, ut solus Deus eos possit constituere. Sed de ritibus nos jam non agimus, cum de verbo non scripto disputamus, quos haud gravatè & nos dicimus retinendos, si in eos universa omnium temporum Ecclesia consentiat. Tertia est: *Id quod in universa Ecclesia ab omnibus retro temporibus servatum est, merito ab Apostolis creditur institutum, etiamsi illud tale sit, quod ab Ecclesia potuerit institui.* Hæc vera est, quia etiam Apostolos comprehendunt omnia retro tempora. Quicquid ergo universalis

Ecclesia inde ab Apostolis & Christo ad nos usq; observavit, id merito creditur ab Apostolis vel Christo institutum. Sed nihil hujusmodi datur præter id, quod scriptum est. Quarta regula est: *Cum omnes Doctores Ecclesiæ communi consensu docent, aliquid ex Apostolica traditione descendere, sive in Concilio Generali sive seorsim in libris, illud credendum est, Apostolicam esse traditionem.* Si intelligantur Doctores omnium temporum collectivè, vera est regula, quia includuntur Apostoli Doctorum primi. Sin Apostolos excludat, Catholicismum non habet & conficta est tyrannidi atq; dominationi Papali, itemq; plebis (quæ Concilia & Patres evolvere nequit) cœcæ obedientiæ & servituti stabiliendæ. Et impossibile est, talem consensum dari, aut de eo certi quippiam constare nobis posse, Neq; enim omnes, quod docuerunt, scripto reliquerunt, nec, qui scripserunt, de omnibus consentienter scripserunt, neq; supersunt omnia Patrum scripta, & quæ hodie supersunt, plurima sunt supposititia, adulterina, falsata. Quinta est: *Id sine dubio credendum est ab Apostolica traditione descendere, quod pro tali habetur in illis Ecclesiis, ubi est integra & continuata successio ab Apostolis.* In hac ἀδὲν ὑγιὲς. Vide Bellarminum ipsum lib. 4. de Not. Eccles. cap. 7, ubi fatetur, *non colligi necessario, ibi esse Ecclesiam, ubi est suc-*

ſucceſſio. Sed in integra ſucceſſione latet angvis. Si enim integra eſt ſucceſſio, quæ dogmatum omnium Apoſtolicorum integram conſervationem implicat, negamus, talem Apoſtolicam, hoc eſt, ab Apoſtolis inſtitutam Eccleſiam hodie extare in toto terrarum orbe. Græcas tales non eſſe, fatentur Pontificii. Romanam autem talem non eſſe, manifeſtum eſt. Sin autem integra ſucceſſio eſt ea, quæ per hæreſes, Simoniam, ambitum &c. non ſit interrupta, & vero talem eſſe Romanam credi ſibi voluerit Bellarminus, ad hiſtorias, imo ad conſcientiam ſuam erit ablegandus. Summa, neq; hæc regula tres illas notas antiquitatis perpetuitatis & univerſalis omnium conſenſionis habet.

§. 6. Errant quoq; Calviniani, Sociniani, aliiq;, qui dictamen rationis agnoſcunt pro principio rerum credendarum apodictico. Principium enim demonſtrationis in Theologia debet eſſe homogeneum, proprium, vernaculum, minimeq; alienum aut alterius generis. Vid. Ariſt. lib. I. poſter. c. 7. 25. *At ratio* eſt alterius generis principium, nec percipit ea, quæ ſunt fidei & revelationis meræ, imo ſibi relicta eſt in fidei rebus *cæca*, Eph. IV. 17. & *fidei inimica* Rom. IIX. 6. 7. à cujus ſeductione (vide exempla ſeductricis rationis Joh. III. 4. ſeqq. VI. 52. ſeq. I. Cor. XV. 35.) nobis cavere tenemur Coloſſ.

II. 8.

II. 8. & *Captivare πᾶν νόημα in obsequium* Christi, II. Cor. X. 5. exmplo Abrahæ Rom. IV. 18. 19. 20. Deniq; ratio non est norma aut principium sufficiens in naturalibus, Eccles. IIX. 17. Sap. IX. 16. *Intellectus noster*, inquit Aristor. lib. 2. Metaph, c. 1. *ad ea, quæ sunt manifestißima, se habet, ut oculus vespertilionum ad diei lucem.* Multo ergo minus poterit esse norma rerum credendarum.

§. 7. Errant item adversarii Papistæ & Calviniani calumniantes, nos Augustanam Confessionem, Formulam Concordiæ & scripta Lutheri habere pro Quinto Evangelio, & æquiparare scriptis Propheticis & Apostolicis. Quorum omnium falsitas ex dictis liquet.

§. 8. Errant quoq; Philippistæ, qui authoritate Philippi Calvinismo velum obducunt, quorum alii clamant imperfectam esse Formulam Concordiæ, eò quod corpus doctrinæ Philippicum (de quo vide CL. Hutteri Concordiam concordem pag. 95.) in eo non sit receptum; alii illud ipsum corpus doctrinæ exterminato Concordiæ libro ceu normam doctrinæ cœlestis Ecclesiæ obtrudere studeant. Quales Anhaltini & Bremenses.

§. 10. Deniq; rejicimus omnes hæreses & errores, qui in primitiva Ecclesia Orthodoxa ex solidis verbi DEI fundamentis rejecti sunt & damna-

damnati : damnamus item omnes hæreſes & ſectas, quas ſcripta Symbolica Eccleſiæ Orthodoxæ damnant.

COROLLARIA

I.

UNus tantum cujusq; tum vocis (unius nempe in oratione ſimplici poſitæ) tum contextus Biblici literalis eſt ſenſus. Una enim eſſentialis rei forma, una veritas eſt.

II.

Senſus literalis præcipuè argumentativus eſt, non tamen excluſo myſtico, quem ſcriptura intendit & explicat.

III.

Senſus literalis & proprius arctè tenendus niſi in fidei articulos & præcepta charitatis palam & verè incurrat, & ſimul evidenter ac ſufficienter ex eodem vel aliis locis figuratus ſermo detegatur ac probetur. Præſertim vero, ubicunq; fidei articulus ex profeſſo traditur, ibi urgendus eſt ſenſus literalis & proprius.

Alle-

IV.

Allegoria (quæ est rei alicujus mystica seu spiritualis per aliam in scripturis narratam repræsentatio) innata, hoc est, ea, quæ in Scripturis expressè traditur, propriè sensus Scripturæ mysticus est. Cæterum rectè dicitur, allegorias in Scripturis non ita esse crebas ut typos.

V.

Allegoriæ illatæ sint raræ, concinnæ, utiles. Rejiciendæ ergo contortæ & inconcinnæ allegoriæ sive Patrum sive Pontificiorum sive Cabalistarum, sive aliorum ἀλληγορέντων, qui ipsas quoq; Poetarum fabulas & profanas hystorias fidei mysteriis explicandis aut confirmandis applicant.

VI.

In Typo (qui vel est Propheticus sive Prophetis usitatus, dum symbolis externis actionibus & visionibus res occultas sive præsentes sive futuras per Sp. Sanctum adumbrant; vel hystoricus, quo res gestæ & facta V. T. & præsertim Sacerdotii & cultus Judaici constitutio adumbrant res in N. T. gestas

gestas & præsertim Christum) plus sæpe est quam in antitypo: & contrà, plus sæpe est in antitypo, quam in typo figuratum est.

VII.

In typis & antitypis appellationum quandoq; contingit permutatio, ut figuratum figuræ & typi; & contra typus & figura antitypi & rei repræsentatæ nomen sibi vendicet.

VIII.

In parabola (quæ est comparatio, qua res aliqua ut gesta fingitur & ad aliam rem spiritualem accommodatur) si integrè accipiatur, tria sunt: radix sive scopus, cortex sive similitudo sensibilis & fructus sive sensus parabolæ mysticus.

IX.

Theologia parabolica (illatam intelige) non est argumentativa.

X.

In parabola primo omnium attendendus est dicentis scopus, nec trahenda est similitudo ultra comparationis tertium.

Clariss.

Clariſs. & Præcellenti

DN. PETRO SCHELIO,

Holſato S. P. P.

FOrmula, quâ variis animis CONCORDIA certa
Siſtitur, & ſanctæ religionis opes
Intra cancellos rediguntur deniq; certos,
Ne cuivis liceat cuncta movere dein,
Olim perplacuit ſanctis; & tempora noſtra
Experiebantur grandius inde bonum.
Sunt quibus haud placuit dudum tam nobile donum,
Audentq; enormi commaculare notâ.
Hoc opus, hoc labor eſt! Concordia poſtulat almas
Vindicias, quas qui præſtat, amandus erit.
MAURITIUS dum præſtat eas, decus orbis honorat.
Cui, SCHELI, dum te jungis, Amice, tenes.

Scrib. boni ominis & voti mnemoſynon

Joh. Georg. Dorſcheus,
Argentoratenſis, D.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730401073/phys_0048
DFG

IN FORMULAM CONCORDIÆ EXERCITATIO SECUNDA DE PECCATO ORIGINIS

Quæ

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Cum consensu VENERANDÆ FACULTATIS THEOL.

Sub Præsidio

Viri Admodum Reverendi, Excellentissimi atq; Amplissimi,

DN. CASPARI MAURITII,

S.S. Th.D. Clarissimi, P.P. & Past. ad D. Mariæ nec non Eccles. Rost. Superintend.

Eruditorum Examini

Die . Aprilis

Subjicietur

à

WOLFGANGO OUW,

Flensburgo-Holsato

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII,

Acad. Typogr. Anno 1654.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730401073/phys_0049

DFG

DEO DUCE!

ARTICULUS II.

DE PECCATO ORIGINIS.

Occasio exhibens statum controversiæ.

OCcasionem præbuit huic articulo concipiendo disputatio Vinariensis Anno M. D. LXI. instituta inter Victorinum Strigelium & Matthiam Flacium Illyricum. Cum enim Victorinus Strigelius cooperationem licet langvidam virium humanæ voluntatis in conversione propugnaret, ex hoc potissimum argumento, quod anima hominis accidente aliquo, quale est peccatum Originis, penitus corrumpi (nam vulneratam esse concedebat) non potuisset, ibi Flacius, Vir alias doctissimus, cum non protinus inveniret modum solvendi hujus nodi, in hanc indoctam vocem erupit: *peccatum Originis est ipsa hominis substantia.* Quam vocem semel emissam nunquam licet erroris admonitus & convictus retractare voluit. Quæritur ergo: *An peccatum Originis sit propriè & absq; omni discrimine ipsa hominis corrupti substantia & essentia, aut certè principalis & præstantissima pars ipsius substantiæ, utpote, ipsa rationalis anima in summo suo gradu & in summis viribus considerata;*

an verò inter hominis substantiam, naturam, essentiam, corpus & animam etiam post lapsum humani generis, & inter originale peccatum aliquod sit discrimen, quod in natura corrupta hæret, & profundissime naturam depravat.

THESIS.

PEccatum Originis est accidens à Diabolo profectum, quod profundissimè corrupit naturam humanam, nec nisi morte exuitur, promerens iram Dei, hoc est, pœnas temporales & æternas.

§. I. In hac thesi sex capita considerandave. niunt. Primum est: *Dari peccatum Originis.* Id di. citur tale respectu causæ, nempe Adami lapsi, qui ut Origo fuit humani generis; sic suô lapsu origi. nem dedit peccato, quod in omnes homines natu. rali generatione propagatur, eisq; à prima origine, sive ab ipsa conceptione adest, & originem dat a. ctualibus peccatis. Ut ergo lapsus Adæ vitiosus actus sive peccatum originans est; ita hæredita. rium peccatum vitiosus habitus sive peccatum o. riginatum, ut sic dicam, vel, ut alii malunt loqui, passivè originale est. Probatur manifestis Scri. pturæ dictis, qualia sunt Gen. VI. 5. IIX. 21. Job. XIV. 4. Psal. LI. 7. Matth. VII. 18. Joh. III. 6. Rom. V. 12. Eph. II. 3. Gen. VI. 5. Gen. VIII. 21. *Omne figmentum cogitationum cordis humani est tantum malum omni die ab ipsa pueritia.* Ubi habes 1. omnes homines. 2. quoad

quoad omnes cogitationes & concupiscentias cordis, sive virium rationalis animæ summarum. 3. tantum malos & corruptos esse. 4. omni die ab ipsa pueritia & infantia. Vox enim נְעוּרִים de prima infantia quoq; usurpatur Exod. II. 6. Jud. XIII. 8. Esa. VII. 16. Psal. XC. 8. &c. Job XIV. *Quis dabit mundum de immundo? ne unus quidem.* Ubi nota dici absolutè immunditiem omnibus inesse, idq; ab origine prima. Nam טָמֵא *ex immundo* apertè propagationem significat. Psal. LI. 7. *Ecce in peccatis conceptus sum, & in peccato calefecit me Mater mea.* Ubi nota de singulari quodam peccato Davidis (confitetur enim sua non aliena peccata, à peccatis suis mundari cupit non alienis) sermonem esse, in quo generatum sive conceptum se esse (nam חוֹלָלְתִּי de generatione passiva sobolis capiendum) queritur David, & notanter sibi id innatum esse ait, & velut implantatum tunc, cum calor maternus massam conceptam fovere inciperet. Cæterum non alia est ratio generationis hominum aliorum, quàm Davidis, Psalm. CXXXIX. 13. seqq. Jacob. I. 15. Hinc fit, ut dicantur homines transgressores ab utero Ps. LIIX. 4. Esa. XLIIX. 8. Matth. VII. 18. *Arbor mala non potest fructus bonos facere.* Joh. III. 6. *Quod natum est ex carne, h. e. homine peccatis contaminato, caro est.* Rom. V. 12. *Per unum hominem peccatum introivit in mundum, & per peccatum mors, & sic mors in omnes homines pertransiit, quatenus in illo uno homine*

mine omnes peccarunt. Ubi nota τὸ ἐφ' ᾧ τῷ ab aliis verti *in quo* sicut ἐν Ἀδὰμ omnes dicuntur mortui, I. Cor. XV. 22. & τὸ ἐπὶ sic satis frequenter accipitur, ut Marc. II. 4. Act. IV. 17. Rom. I. 10. I. Cor. IIX. 11. II. Cor. I. 4. VII. 4. I. Thess. I. 1. Ebr. IX. 17. &c. ab aliis verti *quatenus*, ut Ellipsis sit, explenda ex eo, quod præcedit, per unum hominem &c. & quod sequitur vers. 19. tum ex ratione Apostoli; omnes moriuntur, omnes ergo peccaverunt. Additur enim mortem etiam regnasse in eos, qui non peccarunt in similitudinem prævaricationis Adæ, unde consequitur de peccato Originato sermonem esse, propter quod omnes, etiam infantes, morti sunt obnoxii. Nempe notabilia sunt verba per unum hominem (terminus à quo) peccatum intravit in mundum, & ad omnes pertransivit (terminus ad quem) adeoq; omnes moriuntur, quia omnes peccarunt, & per Adami inobedientiam constituti sunt peccatores vers. 19. Eph. II. 3. *Eramus* Φύσει *filii iræ, sicut & cæteri.* Ubi nota Φύσεως sive naturæ corruptæ & gratiæ oppositionem. Nota item peccatum quoddam Φύσει inesse, quod inde clarum est, quia Φύσει sumus filii iræ. Ira enim præsupponit peccatum, tanquam causam meritoriam Rom. I. 18. Ad hæc loca varias videre licet adversariorũ exceptiones. Primum quod attinet, negant Deum ibi de peccato Originali loqui, sed de inclinatione ad peccandum, quæ inter peccata numerari haud mereatur.

Verum

Verũ gloſſam hanc aperte textus refutat; Expreſsè enim dicitur כל יצר מחשבת רק רע כל היום *Omne figmentum cogitationum cordis ejus tantùm malum eſt omni die.* Ubi notandum, aliud eſſe cogitationem cordis alicujus ad malum eſſe pronam & propenſam; aliud, nihil aliud eſſe quàm malum. Poſterius in fonte apparet: Prius non item. Illud autem malum non poteſt non Deo diſplicere, & nil niſi pœnam mereri. Unde in facili eſt colligere, illud eſſe peccatum. Neq; verò hæc plaga ad primam modo hominis ætatem reſtringenda, ut quidam Ebræorum interpretes fecerunt; ſed æquè ad omnes alias hominis ætates pertinet. Si enim ab ipſo vitæ limine malum eſt figmentum cogitationum, non poteſt eſſe dubium, quin à tam pravo fonte jugiter fluant rivi perverſi. Nempe effectus certiſſimum eſt cauſæ indicium. Vera autem & adæquata actualis omnium hominum malitiæ nulla alia dari poteſt cauſa præter peccatum Originale, quod non à Deo trahitur, ſed à Protoplaſtis & Parentibus propagatur. Nec eſt, quod dicant, deſignari ſaltem peccatum voluntarium, non congenitum vel Originale. Cum etiam infantes diluvio perierint, qui nondum voluntariè peccaverant. Vel enim immiſsô diluviô extincti ſunt absq; omni culpa ſua, vel propter culpam. Primum ſi dicas, magnam injuſtitiæ notam Deo inuris, cujus juſtitiæ quam maximè repugnat, penitus innoxium pœnæ aliorum involvere. Alte-

rum si arripias, quam, quæso, aliam mihi monstrabis causam præter Universalem naturæ corruptionem? Non tamen diffitendum est, ubi attendimus ad causam diluvii proximam, eam esse culpam & malitiam actualem, quæ ipsa ab Originali orta est. Sed adhuc aliquid difficultatis remanere videtur, si non de voluntario malo explicuerimus: Quia sic Deus eandem rationem & causam tum propediem immittendi, tum non amplius immittendi diluvii afferret, quod est absonum. Quæ difficultas haud difficulter tollitur, si consideremus diversitatem temporis, quo offensus Deus punit, & parcit placatus. Item particulam אַךְ, quæ hîc accipitur pro adversativa quamvis vel etsi, hôc sensu: non addam ut maledicam terræ, etsi figmentum cordis hominis malum sit. Vide talia plurima â Cl. Glassio collecta Gram. Sacr. lib. 3. tract. 7. can. 13. & Tarn. in Exercit. Bibl. pag. 178. Ad locum Jobi XIV. 4. & alia ejusdem libri IV. 7. XXV. 4. tria potissimum regerunt. 1. dicunt, ibi sermonem esse de impuritate quadam hominis, quam etiam Angeli participant. 2. fieri collationem summæ majestatis Dei cum homine vili. 3. Plusculas sententias non à Jobo esse prolatas, sed ab ejus amicis, causam malam defendentibus. Resp. ad 1. Nulla nos necessitas adigit, ut verba Jobi solùm intelligamus de Angelis propriè & strictè ita dictis, cum ea ad legatos Dei, homines scilicet, Prophetas &c. accommodare quoq; liceat. Si autem maximè ita intel-

intelligamus, sensus commodus manebit: tales esse Angelos suâ naturâ, ut etiam stulti quid admittere possint, sicut ex detestando Angelorum lapsu patet. Ad II. Jobus cap. XIV. 4. Loquitur absolutè. Quis dabit mundum ex immundo? Ne unus quidem h. e. Nemo ex immundo concretus semine mundum facere potest. Ergo omnis homo naturâ immundus est. Ad III. Sententias amicorum Jobi si in se spectemus, omnis vitii sunt expertes. Nec vitium causæ, quam tuebantur, imputari potest sententiis, sed pravæ illarum applicationi. Locus Ps. LI. 5. quamvis per se satis sit illustris, non tamen erubescunt adversarii magnô hunc opere infirmare. Verba Psalmi ita sonant: Ecce in iniquitatibus formatus sum, & in peccatis calefecit me mater mea. R. David Kimchi, homo literaturæ Ebraicæ peritissimus, existimat significationem verbi יחם, quô hic David utitur, reciprocam esse, putavitq; Davidem de peccato, quod mater concipiens admisit, verba facere. Hinc interpretatur: Et in peccato calefecit seipsam de me mater mea. Sed interpretationem hanc falsam & ineptam esse, nihilq; prorsus huc facere, nemo non videt. Non enim David matris, non aliorum, sed propria flagitia deplorat, suorum peccatorum veniam petit, ut ex versiculo 6. & 7. oppido constat. *Tibi soli*, inquit, *peccavi, & malum coram Te feci ego. Ecce in iniquitatibus meis conceptus sum, & in peccatis meis calefecit me mater mea.* Excipiunt adversarii pluri-

ma. 1. Dicunt satis constare, figuratum esse illum loquendi modum, ut Psal. LIIX. 2 Esa. XLVIII. 8. Joh. IX. 39. 2. Davidem non peccati sed peccatorum mentionem facere, eumq; 3. ita locutum fuisse, ut sua potius peccata excuset. Hinc 4. non collective de omnibus omnino hominibus, sed de se tantum loqui; & quanquam in multis ad peccandum prónitas sit, non tamen esse in omnibus, nec proprie esse peccatum. R. ad I. Ubi nulla evidens necessitas svadet, ut ad hyperbolicas locutiones figurasq; confugiamus, non eæ temere in subsidium vocandæ sunt. In cæteris laudatis locis postulamus, ut hyperbolen nobis & figuram monstrent. Ad II. Occasionem hujus erroris ceperunt ex vulgata editione, quæ pluralem numerum exprimit, cum in Ebræo singularis saltem appareat. Ad III. Quemadmodum David alibi sua peccata integrè confessus est; ita hic quoq; fecit, nec ullâ ratione adversariorum assertio probabilis & vera reddi potest. Excusans enim & pallians peccata DEO placere minimè potest. 1. Joh. I. 9. Prov. XXIIX. 13. Ad IV Quæ David de se fatetur, ad omnes & singulos homines pertinent; illi enim perinde ac David labe Originali infecti lucem accipiunt. Quod dicitur de pronitate ad peccandum, quam vocamus concupiscentiam malam, illam non omnibus hominibus inesse, manifeste contrarium testatur Jacobus I. 14. unusquisq; tentatur à propria concupiscentia. Qvam concupi-

cupiscentiam peccatum esse patet ex eo, quod lege prohibitum sit, non concupisces. Egregia sunt loca & pro roboranda nostra sententia vehementer facientia Joh. III 6. & Eph. II. 3. In primo dicitur, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum cœlorum. Ratio proxime sequentibus verbis redditur: quicquid genitum est ex carne, caro est. Hic vocula caro propriam exuit significationem. Nemo enim rejicitur & à regno cœlorum removetur, quod carne constet. Quid igitur putabimus illâ significari? An dicemus carnem significare ipsam malam hominis naturam? Si sic, parum à Manichæanismo distaremus. Dicamus potius, carnem hic usurpari pro animi & corporis humani natura peccato & morti addicta. Sic autem usurpari carnis vocabulum, ut non corporis solum, sed & animi humani naturam peccato & morti addictam comprehendat, liqvet vel ex eo, quod carni huic Paulus tribuit φρόνημα Rom. VIII. 7. & νῦν Colos. II. 18. Ponitur igitur caro phrasi Ebraicâ pro homine carnali sive peccato infecto. Diligenter autem notandum, nativitatem significare propagationem peccati. Etenim illud, quod originem trahit à carne, ita caro est, ut non sit aliunde, puta ab imitatione, caro, sed inde quia generatur à carne. Manet ergo universalis propositio, Omnes Adami nepotes, ne infantibus quidem exceptis, geniti sunt ex carne, videlicet

ex

ex Adamo corrupto, & sunt caro, h. e. sunt peccatô infecti. Hinc dicimur per Adamum esse constituti peccatores. Rom. V. 19. In loco Eph. II, 3. satis animadvertere licet, D. Paulo sermonem esse de omnibus hominibus, qvemadmodum patet ex verbis, *nos sicut etiam alii*, qvos omnes dicit, esse *filios iræ*, h. e. DEI iræ atq; indignationi devotos. Appellat autem dignos irâ vel pœnâ divinâ filios iræ more Hebræis usitatô, qvi בֶּן cum genitivo appellativorum usurpant pro eo, qui alicui rei penitus sit addictus. Sic Joh. XVII. 12. Judas dicitur *filius perditionis*, non sanè ob hanc causam, quod ipsa illum perditio genuerit, sicut Erasmus annot. in Novum Test. explicat: sed dicitur ita, quia exitio erat destinatus & obnoxius. Ad illam iram DEUM utiq; peccata provocant; peccata, inquam, tam actualia, ut ambulare in peccatis secundum principem potestatis aëris, conversari in desideriis carnis, facere voluntates cogitationum; qvàm quæ φύσει naturaliter adeoq; ab ipsa nativitate nobis insunt, infantibus pariter atq; adultis. Ubi nota, quosdam Veteres interpretes τὸ φύσει exposuisse per omnino, penitus, propriè. Non enim sustinebant propter Manichæos dicere; Naturâ filii iræ. Hanc vocis expositionem ambabus, quod dicitur, manibus arripuit Pelagius, atq; postilla illorum vestigia legens φύσει accepit pro omnino, verè, reipsa, probavitq; illam vocis notationem

ex

ex Gal. IV. 8. Ubi naturâ Dii dicuntur, i. e. verè Dii; non naturâ Dii, i. e. non vere. Verum enim vero φύσει θεοὶ sunt essentiâ Dii atq; naturâ, adeoq; invehitur Paulus in Galatas, quod servierint idolis, quæ non sunt essentiâ & naturâ DEUS. Quando autem homines dicuntur naturâ filii iræ, tunc essentia qvidem & natura præcisè & per se intelligi non potest, sed qvatenus ab ipso ortu est peccatô corrupta & contaminata.

§. 2. Secundum est, *peccatum Originis non esse substantiam ipsam hominis, sed accidens.* Nempe est accidens tum prædicabile, quod potest abesse vel adesse salva essentia hominis præcisè loquendo, tum prædicamentale, nempe vitiosus habitus. Neq; enim peccatum Originis est mera privatio, sed est privatio habitualis includens formam contrariam, sicut morbus non est simplex privatio æqualitatis temperamenti & sanitatis, sed simul includit ipsos humores inordinatè dispositos. Utrumq; Scriptura conjungit & privationem boni Rom. II I. 10. seqq. &c. & positionem mali Luc. XI. 13. Gen. VI. 5. seq. &c. Atq; hinc est quod dicitur *inhærere in membris* Rom. VII. 23. *inhabitare ver. 17. adjacere* vers. 21. ἐυπερίστατος *esse* Hebr. XII. 1. Quæ & plus quàm meram & simplicem privationem esse peccatum, & non substantiam sed accidens esse demonstrant. Id quod manifestum est ex Paulo, qui suam essen-

tiam

tiam sive substantiam distinguit à peccato, cum dicit, se illud non operari, quod peccatum in ipso habitans operatur. Cœterum peccatum Originis non esse substantiam, formula Concordiæ solidissimè confirmat ex fidei Analogia. I. argumentum desumitur ex articulo creationis. Deus creat hominem, sed non creat peccatum. II. ex articulo incarnationis. Filius Dei adsumpsit naturam humanam & factus est nobis ὁμοίσιος. sed exceptô peccatô. III. Ex articulo redemptionis. Redemit filius Dei & hominis naturam humanam, qvam Deus dilexit, & Spiritus Sanctus sanctificat. Atqj hoc quod desanctificatione dicitur IV. est. Non autem redemit, non dilexit Deus, non sanctificat peccatum Originis. V. ex articulo resurrectionis. In extremo judicio resurget hoc ipsum corpus, quod cecidit, secundum substantiam. Non autem resurget Originis peccatum. Exceptiones Flacianorum contra hæc argumenta vix dignæ sunt, ut recensentur. Vid. CL. Hutter in Form. Conc. Pag. 30. seqq.

§. 3. Tertium est: *peccatum Originis non esse leve accidens, sed tale, quod profundissimè corrupit totum genus humanum, exceptô Christo.* Sic enim occupavit omnes animæ rationalis etiam summas facultates, ut nullâ ratione ab homine in hac vita separari penitus possit, utqj nunquam sit otiosum, sed cogitata salubria intervertat, volentesqj

resq; facere bonum in transversum rapiat. Qua de re videatur præter loca superius adducta cap. VII. ad Romanos, in quo de se ipso jam renato loqui Paulum, tum illud probat, quod vel tricies suam personam determinet temporis notatione, Ego sum, ego facio, me, mihi, in me &c. tum demonstrat congeries prædicatorum, quæ aliud subjectum quam renati, non admittunt. Qualia sunt, velle bonum, consentire legi Dei, condelectare legi Dei, habere hominem interiorem, sentire luctam carnis & spiritus, agnoscere naturæ depravationem, petere ab ea liberationem, mente servire legi Dei &c. Exceptiones adversariorum, Socinianorum imprimis, quos sequuntur Arminiani expressas & elisas vide in Exerc. Antisocin. VI. §. 6. Summa non sunt renati tale peccati mancipium, quod Tyranno sponte obsequitur, sed, quod qvidem Tyranno dominium affectanti repugnet, interim mala desideria & perversos carnis motus effugere nulla ratione possit. Neq; Paulus de victoria peccati loquitur, sed de repugnantia inevitabili, & bello illo infesto, qvod quantisper vivimus, cũ carne inire & militare necessum habemus. Interim, quia pugna adhuc durat nondum victoria secuta est. Et quod de Romanis dicimus, vinci eos prælio, sed non bello potuisse, idem de renatis valet, qvi vincuntur aliquando peccato aliquo & lapsu, sed per Dei gratiam etiam resurgunt, sese colligunt, & rursum vindicant in-

in libertatem. Adde exemplum Israelitarum, quos sæpe vicerunt Philistæi, sed nunquam oppresserunt.

§. 4. Qvartum est: *Peccatum originis à Diabolo profectum esse.* Proxime qvidem mali hæreditari causa qværenda est in lapsu Adami: at in lapsus causam si inqviramus externam (internam enim proximam & immediatam esse voluntatem Protoplastorum constat) principalem & impellentem, non aliam esse qvam Diabolum, qvi per serpentem hominum inobedientiam operatus est constat ex Joh. II X. 44. II. Cor. XI. 3.

§. 5. Qvintum est: *Peccatum originis non nisi morte exui.* Id inde demonstratur, qvia concupiscentia in renatis semper reliqva manet, de qva præter loca §. 1. adducta videatur Rom. VII. Intelligit autem Paulus per concupiscentiam non illam actualem tantum, quæ est cum consensu, verum etiam habitualem ejusq; motus involuntarios, qvos dicit se odisse, nolle, qvosq; peccata esse non novisset, ante conversionem, cum esset Pharisæus. At motus voluntatios peccata esse neq; Ethnici ignorare potuerunt. Esse autem hanc concupiscentiam peccatum, lex docet prohibens concupiscentiam ne sit, non tantum ne ei consentiatur, cujus legis ea vis est ut prohibeat per modum non doctrinæ tantum, sed etiam obligationis, quippe qnæ in legis formali inest.

§. 6. Sextum est: *peccatum originis promereri*

pœnas

pœnas temporales & æternas. Temporales sunt calamitates hujus vitæ, morbi, mors deniq; Gen. III. 16. Æterna est pœna damni & sensus Joh. III. 36. *Eramus natura filii iræ* Eph. II. 3. *Reatus est ex una unius offensa in condemnationem* Rom. V. 16.

ANTITHESIS.

Continens rejectionem.

§. 1. Primò Eorum, qui *peccatum originis directè negant.* Quales è veteribus Pelagius ejusq; assecla Cælestinus & Julianus, item Armenii & Albanenses, de quibus vid. Alphons. de Castro lib. 12. de hæres. hær. 1. Johannes de Westphalia referente Bernhardo de Lutzenburgo; è recentioribus Papistæ quidam, Piggius, Catharinus, Jacob. Faber, Domin. Sotus, Ruardus Tapperus &c. Zwinglius, Anabaptistæ, Sociniani, Arminiani. Argumenta eorum præcipua hæc sunt. 1. Nulla fit mentio peccati originis Gen. III. Ubi peccati pœnæ enumerantur. 2. Filius non feret iniquitatem Patris Ezech. XIIX. 20. 3. Injurium est in DEI bonitatem sapientiam & justitiam, ut peccatum Adami omnibus hominibus imputet. 4. Unus actus non potest facere habitum. 5. nascuntur è parentibus pessimis liberi eximiè sancti &c. Resp. ad 1. argumentum tale ab authoritate negative non probat, quanquam probet ab authoritate negante. Sed non negatur Gen.

III. peccatum originis, quin potius privationis concreatæ imaginis & positionis mali contrarii satis aperta ibi continentur documenta vers. 7. 8. 12. 13. cap. V. 3. Interim sufficit clarissima testimonia evincentia existentiam peccati originis alibi exstare. Ad 2. distingvimus inter peccata particularia Patrum, & inter peccatum Parentis primi, quod non est alienum, sed certa ratione nostrum. Quanquam nec id diffitendum sit, sæpe fieri, ut filius portet iniquitatem Patris Exod. XX. 5. Quare locus Ezechielis in certis casibus obtinebit, nec ultra scopum loquentis de certo negotio DEI extendendus est. Non male Crellius de DEO & attrib. divin. p. 185. *Jus* DEO *esse* dicit *infantes v. g. pœnæ alienæ veluti impendere, ut ipsos nocentes in iis puniat, quam ob causam non quosvis ad eam rem deligit, sed eos tantùm, qui nocentibus arctiori vinculo sunt conjuncti, & quos salvos esse sontium plurimum interest. Tales sunt liberi, nepotes & pronepotes respectu parentum ac majorum. Sunt enim liberi quædam veluti partes parentum & in posteris progenitorum sangvis ac nomen est.* Ad 3 jam dictum, peccatum Adæ esse commune & nostrum quoq;. Neq; enim Adam Gen. I. & II. ut singularis persona, sed in eo tota speciei humanæ communitas spectanda est, ut patet consideranti Gen. I. 27. 28. 29. II. 17. V. 1. 2. Adeoq; quicquid boni accepit Adam,

toti naturæ in eo donatum est: quicquid commeruit, non ipsum solum tetigit, sed universum genus humanum. Et si homines injustitiæ notam non incurrunt, quando propter crimen læsæ Majestatis, infidelitatis, subditos, vasallos & subditorum vasallorumq; filios puniunt, vel, quando, Reipublicæ Princeps & Pater quod agit nomine Reipublicæ, id toti Reipubl. imputant, multo minus DEO, cujus attributa ad leges & normam rationis nostræ non sunt revocanda, injustitiæ labes aspergi poterit, si rebellis Patris filios æquè rebelles plectat & bonis privet concessis. Ad 4. loquitur de habitibus acquisitis actibus pluribus vel paucis bene validis regula. At nos non quærimus, quantum unus actus possit acquirere, sed quantum possit corrumpere. Certè multa sunt flagitia, quæ habitum corrumpere & pessumdare uno actu possunt. Unus enormis actus intemperantiæ, homicidii &c. evertere multos habitus longo temporis tractu acquisitos potest. Unus actus peccati in Spiritum Sanctum quantum possit, ipsi agnoscent adversarii. Ad 5. Distingvenda est generatio à regeneratione. Sanctitas liberorum ab hac est, non ab illa.

§. 2. Secundo eorum, qui *vel Peccatum originis ipsam esse hominis substantiam*, vel *meram esse privationem sine contraria qualitate* contendunt. Bellarm. lib. V. de amiss. grat. cap. 15. taxat Lom-

bardum aliosq; , quod *statuant peccatum originis non esse meram privationem , sed una morbidam in anima qualitatem , prava desideria perpetuò excitantem.* Arminius in disp. priv. pag. 73. *utramq; sententiam verisimilem* judicat, quanquam censeat *verisimilius , solam carentiam justitiæ originalis ipsum peccatum originis esse.* Sed sequendus hic est ductus scripturæ , quæ non tantum vocibus meram privationem significantibus, verum etiam verbis habituale quid designantibus peccatum originis describit. Vide Psal. XIV. 2. Jac. I. 14. Gen. VI. 5. Gal. V. 17. Rom. VII. 20. seqq. Quanquam ergo Peccatum originis privationem includat, tamen formaliter non est mera privatio, sed, sicut in vitiis & morbo sunt duo , habitus (materiale) & deflexio à recta ratione, à naturali constitutione, (formale) ita quoq; in peccato originis duo sunt privatio justitiæ originalis & habitualis ad mala pronitas & proclivitas, adeoq; corruptio intellectus & appetitus , per quam intellectus non tantum cœcus est, verum etiam errat, appetitus non tantum à bono aversus est, verum etiam alacris ad appetenda & efficienda mala. Inprimis rejicimus Flacium & Flacianos , quibus in Ecclesia prisca præivere Hermogenes, Marcion, Manes & Manichæi, docentes *duas in homine naturas esse , unam bonam, alteram malam, quæ mali principii sit opificium,* de quibus

quibus videatur Epiphanius, hær. 66. Augustinus hær. 46. & Cyrill. Catech. VI. Argumenta Flacii potiora hæc sunt. 1. hominis naturam pugnare cum lege. 2. scripturam in describendo peccato originis uti vocibus ipsam substantiam exprimentibus. 3. sanctificationem esse novi cordis creationem. 4. homines natura filios iræ esse. 5. ipsam carnem, quæ concupiscit adversus Spiritum, regenerari, baptizari, item, carnem & sangvinem non posfidere regnum DEI &c. Resp. ad 1. non pugnare ipsam hominis substantiam cum lege in se, sed respectu innatæ malitiæ. Ad 2. non ideo uti scripturam vocibus substantiam significantibus, quasi peccatum sit substantia, sed ut innuat profundam naturæ corruptionem. Ad 3. quando David petit novi cordis creationem, non intellexit cordis prioris quoad substantiam abolitionem, ut manifestum est, sed immunditiei cordis ablationem & munditiei substitutionem. Ad 4. omnis creatura DEI bona est Gen. I. ult. I. Tim. IV. 4. Natura filium iræ esse est ab ipso ortu naturam habere inquinatam peccato, quod facit Filium iræ. Ad 5. Caro accipitur vel pro ipsa corruptione vel pro homine corrupto. Verum est hominem corruptum, baptizari, regenerari; Item hominem corruptum, qua talem, non ingressurum in regnum cœlorum. Nihil enim inquinatum eô intrabit. Alias credimus HUJUS CARNIS (secundum

substantiam, non secundum corruptionem) resurrectionem: nam τὸ φθαρτὸν τοῦτο hoc corruptibile induet incorruptibilitatem I. Cor. XV. 53.

§. 3. Tertio eorum, qui peccatum originis extenuant & ad omnes & singulos homines genitos communi lege ex mare & fœmina per carnalem generationem propagatum esse negant. Quales sunt Pontificii, quorum quidam *in Adami posteris nihil inhærens* agnoscunt *quod peccatum originale dici queat, nullamq; esse* docent *humanæ naturæ corruptionem nativam*, quales Pighius & Salmero; alii cum Bellarmino lib. de grat. prim. hom. *luctam carnis adversus spiritum verè ac propriè esse peccatum* negant & contendunt, *hanc pugnam esse morbum sive langvorem naturæ humanæ, quæ ex conditione materiæ oriatur: hominem* enim *naturaliter constare ex carne & spiritu, ex quorum diversis vel contrariis propensionibus, ad bonum scilicet corporale & spirituale in uno & eodem homine pugna quædam existit, & ingens benè agendi difficultas.* Pergit Bellarminus: *DEUS ut remedium adhiberet huic morbo, seu langvori naturæ, addidit homini justitiam originalem, quâ velut aureo fœno pars inferior parti superiori & pars superior DEO facilè subjecta contineretur: hæc rectitudo fuit donum ita supernaturale, ut non magis differat status hominis post lapsum Adæ, à statu ejusdem in puris naturalibus, quam differt spoliatus à nudo.*

Secun-

Secundum hanc sententiam extenuatur peccatum originis, quando & pura naturalia defenduntur sine ullo scripturæ fundamento, atq; sic rebellis impetus, obedientiæ debitæ adversi origo non in peccantem Adamum, sed in conditionem materiæ & consequenter in ipsum DEUM. refunditur; & per peccatum homo spoliatus tantum statuitur externis vestibus, non etiam vitâ & virtute internâ. Sed & secundum errant. errorem Pontificii, dum negant *omnes homines genitos communi omnium lege ex mare & fœmina corruptos esse peccato originis, & excipiunt à peccati lege communi Virginem Mariam*, quanquam hic dissentiant Dominicani. Et profecto est hæc sententia de immaculata conceptione Mariæ nova, sinceriori Ecclesiæ inaudita, inepta, nulloquè subnixa scripturæ testimonio. Quin adversus eam militant omnia loca suprà adducta item ea, quæ solum excipiunt Christum, eumq; dicunt esse *Salvatorem omnium, maximè fidelium* & consequenter Mariæ Luc. I. 45. 47. &c. Adde I. Joh. I. 8. Canus Loc. lib. VII. cap. I. fatetur, *Sanctos Patres, qui in ejus rei mentionem inciderunt, uno ore asseverare, B. Virginem in peccato originali conceptam.*

§. 4. Quarto Eorum, qui *vel directè vel indirectè* DEUM *esse causam peccati Originis* docent. Quales imprimis illi, qui Fatum sive decretum divi-

divinum esse omnium rerum etiam actionum malarum causam defendunt, adeoq; docent DEUM absoluta, hoc est, conditionis antecedenter præviſa neſciæ voluntate ad omnia tam bona quã mala eaq; culpæ pariter & pœnæ ſic prædefinivisſe, ut & vi hujus decreti divini non moraliter tantum, hoc eſt, objectivè & perſvaſive, verum etiam phyſicè ſive realiter prædefinientis voluntatem creatam neceſsario & inevitabiliter fiat quicquid fit, ſive id bonum ſit ſive malum idq; culpæ pariter & pœnæ. Huic fato olim præluſere Stoici rigidiores docentes, Fatum esſe ſeriem incomplexam cauſarum ſive ordinem quendam neceſsarium in rebus omnibus ab æterno conſtitutum, cui DEUS ipſe ſubjaceat, ut mutare eum non poſsit: unde apud Homerum Iliad. π. dolet Jupiter, ſe Sarpedona morti eripere non poſſe, quod ei fatale esſet, tunc à Patroclo interfici. Vide Senec. de Provid. cap. V. Ad Stoicam opinionem in Synagoga proximè accesſerunt Phariſæi, teſte Joſeph lib. XIIX. Antiq. cap. 2. Vide Joſeph in vita ſua & Epiphan. lib. I. hæreſ. 17. Vid. Philoſoph. ſententiæ de fato collectæ ab Hugone Grotio pag. 310. In Eccleſia Fati cujusdam patrocinium diverſis temporibus diverſi hæretici ſuſceperunt. Seculo II. Hermogenes *omnia credidit neceſsaria propter materiæ neceſsitatem*, adverſus quem ſcripſit Tertullianus. Florinus

omnia

omnia mala esse à DEO dicebat, contra quem scripsit Irenæus. Vid. Eusebium lib. V. hist. Ec. cap. XIX. Valentinus *divina quadam necessitate vim quandam homini fieri statuebat, dum induratur*, de quo vide Iren. lib. IV. cap. 47. seq. Badesanes item qui Abidam Astronomum fati propugnatorem impugnaverat, postea fatalem necessitatem & ipse asseruisse dicitur August. hæres 35. Vide Grot. pag. 336. seqq. Seculo III. Manes secutus deliria Hermogenis, Marcionis, Cerdonis, qui duo contraria principia posuerant, docuit, *omnia mala necessario oriri à principio malo necessario, quod vocavit tenebras effectrices carnis sive carnalis concupiscentiæ, quæ necessario mala in homine producit.* Seculo V. Prædestinatiani & inter hos imprimis Adrumetini Monachi in Africa (quorum errores plerosq; resuscitavit Seculo IX. Godscalcus Monachus in Gallia) docebant, *omnia absolutis* DEI *decretis fieri.* Postremis seculis Scholastici floruerunt, inter quos Scotus & Durandus statuebant, *DEUM voluntate sua res natura sua merè possibiles & indeterminatas, tamq; ad futuritionem quam non futuritionem indifferentes ab æterno determinasse.* Hanc Scoti sententiam amplexi sunt Thomistæ sine Dominicani, & Calviniani, de quibus vide CL. Hulsem. diatr. de auxil. gratiæ pag. 306. ubi pluribus docet *Calvinianos & Dominicanos convenire quoad influxum* DEI *determinan-*

tem & moventem voluntatis humanæ. Præivit Fato *Calviniano* (prout id rectè appellavit Phil. Melanchton & agnoscit Piscator part. 1. ad dupl. Vorstii pag. 130. 232. Vide Rivet. in Tract. IV. Cathol. Orthod. quæst. VI. p. 346. & Maccov. in Q. Q. Miscell. p. 418.) supra descripto Zwinglius lib. de provid. ubi docet, *necessum fuisse ut esset mendacium & iniquitas*, item, *DEUM esse autorem peccati &c.* Quem librum sic claudit Zwinglius: *Nos ingenuè agnoscimus, factum esse, ut hoc muneris à nobis postulares, quo vel aliqua lux vel nostra stultitia proferretur.* Martyr class. I. locor. cap XIV. n. 5. *Viri docti concedunt, DEUM esse peccati causam.* Item in Epist. ad Rom. cap. I. *non possumus inficiari, DEUM quoquo modo esse causam peccati.* Zegedin. p. 233. *DEUM effective non tantum permissive mala agere* Polan. part. 2. Syllog. p. 186. *DEUS mala non tantum fieri permittit, sed etiam decernit & facit.* Cui blasphemiæ opponimus loca scripturæ Deut. XXV. 16. Psal. V. 5. Zach. IIX. 17. Sophon. III. 6. *Justus Dominus non faciet aliquid injusti.* Conf. Exercit. de Fato Calvin.

§. 5. Quinto Eorum, qui *per baptismum ita absolvi docent hominem à debito justitiæ originalis, ut concupiscentia etiam regnans non habeat rationem originalis peccati.* Quem errorem Pelagianum ab orco revocarunt Pontificii. Vid. Bonav. in 2. dist.

dist. 32. §. 6. 7. Hinc disputat Bellarminus *primos concupiscentiæ motus, quibus mens resistit, non esse peccatum, quia non sunt in nostra potestate, & consequenter pronitatem ad hos motus non esse peccatum.* Sed reclamat authoritas Rom. VII. ubi concupiscentia post baptismum reliqua sæpius dicitur peccatum, hoc est, non bonum, malum, odio habendum, pugnans cum lege DEI (nota Bellarminum ipsum agnoscere peccatum accurate à Johanne definitum per ἀνομίαν de amiss. grat. lib. 2. cap. 18.) crucifigendum, mortificandum, miserum illum reddens cui inest. Excipiunt, intelligi actum voluntarium concupiscendi. Sed ab hoc distinctum est peccatum in habitans, de quo Paulus loquitur quippe origo & causa actus voluntarii concupiscendi. Et aperte Paulus: *Malum, quod nolo, facio.* Manet ergo peccatum originis etiam post baptismum, etiam sublato reatu, hoc est, ordinatione ad pœnam. Reatus enim duæ sunt partes, ut rectè observat Bellarminus *meritum pœnæ & ordinatio ad pœnam.* Illud manet etiam post baptismum & à peccato est inseparabile: hæc perit & separatur per gratiam Evangelii Rom. IIX. 1. Dices: concupiscentiam dici peccatum, quia à peccato est & ad peccatum inclinat: Respondeo, si à peccato est, est peccatum. Qualis enim causa, talis effectus. Si inclinat ad peccatum, vel physicè movet, vel mora-

moraliter. Si physicè, talis motus lege prohibitus est & consequenter est peccatum. Sed & moralis motio per svasionem, exemplum &c. peccatum est. Relinquitur ergo, concupiscentiam habitualiter inhærentem, ut & primos ejus motus involuntarios ex se & sua natura peccatum proprie dictum esse.

§. 6. Sexto eorum, qui circa pœnas peccati originis errant. Quales Pontificii, qui distinguunt inter *pœnam damni & sensus, & infantibus cum peccato originis decedentibus* assignant *limbum quendam velut medium locum inter locum damnatorum & paradisum, ut in eo nec sit gloria nec gehenna.* Quæ omnia sine fundamento asseruntur & eâdem facilitate rejiciuntur, qua asseruntur. Ad classem errantium circa pœnas peccati originis referendi sunt Sociniani statuentes: *moriturum etiam fuisse hominem in statu, integro adeoq; mortem non esse peccati pœnam, sed naturæ conditionem & consequens.* Cum Socinianis paria faciunt Anabaptistæ, nec multum ab iis absunt Arminiani, sedulo cavantes, ne hac in re aliter loquantur, quàm Sociniani. Quibus opponimus tum statum naturæ integræ, à quo abfuit omne malum Gen. I. ult. hoc est, non tantum abfuit moriendi necessitas ut fingunt adversarii, sed mors ipsa, qua nihil pejus Eccles. IX. 4. tum imprimis loca Gen. II. 17. III. 19. ex quibus evidens est, mortem homini eventu-

ventutam non fuisse, nisi meritum peccati antecessisset; Item Rom. V. 12. ubi expresse Paulus *per unum hominem introiisse* dicit *peccatum καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας & per peccatum mortem*, Ubi notetur, particulam διὰ cum Genitivo ex usu linguæ Græcæ Hebraizantis non occasionem tantum sive nudum antecedens, sed causam potius inferre, sicuti tum ex Evangelistis Matth. IV. 4. IIX. 17. XIII. 35. XXVI. 24. &c. tum ex Paulini sermonis indole Rom. I. 5. II. 23. III 20. 24. V. 2. 5. 9. 10. 11. 17. 18. 19. 22. &c. clarum est. Adde, vers. 12. 15. 17. seqq. in quibus habes oppositionem inter Adamum primum & secundum. Illius injustitia eodem modo se habet ad mortem, sicut hujus justitia ad vitam. At hic causæ ejusq; meritoriæ ratio intervenit. Ergo & ibi. Quæ omnia luculentiora & manifestiora evadent consideranti locum Rom. VI. 23 ubi Paulus *stipendium*, inqvit, *peccati mors est*. Ergo peccatum causa meritoria mortis. Ad hæc loca tria solent reponere adversarii 1. intelligi non mortem, sed mala ad mortem ducentia. 2. moriendi necessitatem 3. mortem æternam. Miranda profecto est hæc libido torquendi. Interim nemo negat, ista omnia, qvæ enumerant adversarii, in comminatione mortis intelligenda esse, quæritur, annon etiám & qvidem primo in expressa mortis comminatione sit intelligenda mors temporalis. Id omnino evincit commina-

minationis eventus Gen. III. 19. ubi qvid per-
mortem intelligendum sit, ipse DEUS explicat,
cum ait *in terram resolutum iri hominem*, qui pecca-
verat. Dices: mortis temporariæ mentionem fi-
eri non tanquam pœnæ, sed tanquam termini, ad
quem sit duratura pœna: hoc enim velle particu-
lam donec. Sed, si hæc particula terminum in-
fert pœnarum, sequetur, à ratione pœnæ excludi
mortem æternam. Deinde particula donec non
exclusiva est, sed inclusiva pœnæ ut Deut. XXIIX.
20. Quare ad 1. Resp. si mala ad mortem ducen-
tia habent rationem pœnæ Ergo multo magis
mors ipsa. Sed opponimus huic glosæ ipsum
textum & vim verborum, *morte morieris*, quæ
phrasis aperte ipsam mortem comminatur, & nun-
quam usurpatur, ut non ipsam mortem com-
prehendat Gen. XXVI. 11. Exod. XXI. 6. Judic. XIII.
22. II. Sam. XII. 14. & passim. Ad II. Resp. si de mo-
riendi necessitate intelligenda est vox DEI & Pau-
li, utiq; mors ipsa excludi nequit. Imo in morte
prius erit ponenda ratio pœnæ, quam in ejus ne-
cessitate. Plus enim pœnæ sentitur in morte,
quam ubi mors naturalis sive debita naturæ est,
in solâ ejus necessitate. Quin, dum agnoscunt
& fatentur adversarii, mortis in homine ab ipsa
hominis natura (materia) necessarias esse causas.
(Socin. contra Pucc. p. 277.) fateri quoq; neces-
sum est, mortem ipsam homini necessitate natu-

rali

rali esse necessariam, (cui tamen contradicit exemplum Enochi, Eliæ aliorumq; plurimorum, quos novissimus dies vivos occupabit) nec hanc necessitatem peccatum insecutam esse. Deniq; nullum scripturæ locum producere adversarii possunt in quo τὸ mori idem sit ac necessario mori. Coser. Rom. V. 12. seqq. ubi morti habes oppositam vitam, qua tamen vivendi necessitas nequaquam denotatur. Ad III. Resp. adversarios per mortem æternam intelligere perpetuam animæ & corporis dissolutionem, unde consequitur mortem æternam nihil novæ pœnæ inferre, imò pro pœna nō posse agnosci, eò quod nullum damni sensum secundum adversarios inferat. Deinde opponimus huic glosæ explicationem ipsius DEI Gen. III. 19. Rom. V. 14. dicentis, mortem regnasse ab Adamo usq; ad Mosen etiam in infantes (quod de morte æterna dici nequit) item Ebr. IX. 27. 28. ubi mortem habes, quam judicium sequitur, non quæ totum hominem extinguit.

Pra-

Præstantissimo & Pereximio

Dn. Respond. S. P. P.

AN sit, tum quid sit peccamen Originis atrox,
Cuncti principium, fons, & origo, mali,
Nosse decet, queis cunq; placet cœlestis origo
Justitiæ, felix remmediumq; mali.
Explicat hoc contra discordes Formula concors
Legibus æternis, formula sana piis.
Informes sunto, queis formula displicet istæc!
Dulcior est nobis quo mage fœtet eis.
Te formas bene, dum tibi formula volvitur istæc,
Tandem formosum sistet JOVA sibi.

Cum bono omine & voto
scribeb.

Johan. Georg. Dorscheus
Argentoratensis D.

IN FORMULAM CONCORDIÆ EXERCITATIO TERTIA, DE LIBERO ARBITRIO.

Quæ

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Cum consensu VENERANDÆ FACULTATIS THEOL.

Sub Præsidio

Viri Admodum Reverendi, Excellentissimi atq; Amplissimi,

DN. CASPARI MAURITII,

S.S. Th. D. Clarissimi, P.P. & Past. ad D. Mariæ nec non Eccles. Rost. Superintend.

Eruditorum Examini

Die . Aprilis

Subjicietur

à

MICHAËLE LAURENTII,

Rost. Mecklenb.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII,

Acad. Typogr. Anno 1654.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730401073/phys_0081

DFG

DEO DUCE!

ARTICULUS II.
DE
LIBERO ARBITRIO.

Ἀφορμὴ exhibens ſtatum controverſiæ.

ORiginem controverſiæ de LIBERO ARBITRIO dederunt Synergiſtæ, docentes, hominem convertendum ſeſe ad gratiam applicare, præparare, & viribus propriis cooperari Spiritui Sancto poſſe. Hos inter familiam duxit Victorinus Strigelius, de quo dictum ad articulum primum. Synergiſtis præivit Philippus Melanchthon, qui in Confeſſione Auguſtana à ſe privato auſu variata Articulo V. dicit, *dari Spiritum Sanctum iis, qui Evangelio ſe conſolantur & fide erigunt.* Et art. XIIX. *Spiritualem juſtitiam in nobis effici, cum adjuvamur à Spiritu Sancto.* Quæ verba innuunt, fidem ſalvificam, & quæ hinc procedit, conſolationem hominibus competere ante Spiritus Sancti donationem, item, hominem eſſe juſtitiæ Spiritualis cauſam, quia tantum adjuvatur à Spiritu Sancto. Apertius in L. C. pag. 90. Edit. Lipſ. A. 1559. *tres*, inquit, *concurrunt cauſæ bonæ actionis, verbum DEI, Spiritus Sanctus, & humana voluntas aſſentiens. Poſſet enim*

excutere, ut excutit Saul sua sponte. Sed cum mens audiens ac se sustentans non repugnat, sed adjuvante etiam Spiritu Sancto conatur assentiri, in hoc certamine voluntas non est otiosa &c. Quæritur ergo, *An homo convertendus seſe ad gratiam applicare, præparare & viribus propriis cooperari Spiritui Sancto possit?*

THESIS.

HOmo ante lapsum plenas liberi arbitrii vires in spiritualibus habuit: post lapsum vero, quanquam homo liberum arbitrium habeat tum in naturalibus & politicis, tum in ecclesiasticis externis, tamen ante conversionem in rebus spiritualibus liberi arbitrii, hoc est, mentis & voluntatis vires planè nullæ & penitus emortuæ sunt, at post conversionem incipit cooperari Spiritui Sancto.

§. 1. In hac thesi quatuor veniunt notanda. Primum est ipsa vox liberi arbitrii & vis vocis. Vox ipsa fundata est in scripturis per æquipollentiam I. Cor. VII, 37. &c. Additur autem libertas arbitrio, ut mentis & voluntatis facultas significantius exprimatur. Libertas statuitur triplex: naturæ, à coactione & necessitate; gratiæ à servitute peccati Rom. VI, 18. II. Cor. III, 17. gloriæ, ab omnibus miseriis hujus vitæ & futu-

futuræ Rom. IIX, 21. Forma liberi arbitrii consistit in interiore voluntatis libertate, qua non tantum sine coactione & violentia, verum etiam sine physica necessitate ex interno agendi principio movetur, ut unum eligat, alterum repudiet, quæ est libertas contrarietatis, ut agat vel non agat, quæ est libertas contradictionis. Distinguitur ergo τὸ spontaneum à libero, nec cum illo hoc confundendum. Sponte gravia ruunt, bruta agunt, sed non libere. *Libertas* enim est in electione mediorum. *Finis* quippe & bonum necessario appetuntur, & hujus respectu βούλησις est necessaria: at electio, quæ mediorum est, libera est. Nempe electio est ὄρεξις τῶν ἐφ' ἡμῖν h. e. appetitio eorum, quæ in nostra sunt potestate, ita, ut per nos fieri & non fieri possint ἐν οἷς ἀδιορίστον, *in quibus indeterminatio est.* Actio enim προαιρετικὴ & determinata ad unum, è diametro sibi opponuntur. Vid. Arist. lib. III Eth cap. 4 seqq. Quanquam vero electionem soleat præcedere consultatio & arbitrium intellectus, voluntas tamen non dependet ab ultimo judicio intellectus practici, cum sit compertum, ante judicium hoc ultimum plerasq; actiones voluntarias perfici, ut adulterium Davidis, abnegationem Petri, quæ nemo negat fuisse peccata voluntaria, neq; tamen sunt patrata post examinationem omnium rationum, quæ his facinoribus poterant obstare. Cæterum notan-

dum, libertatem posse considerari in actu primo & secundo. Libertas volendi considerata in actu primo inseparabilis est à voluntate. At in actu secundo spectata & quidem in certis objectis, potest à voluntate separari. Sic DEUS habet libertatem & indifferentiam in actu primo, habet etiam libertatem in actu secundo, eam nempe, quæ cum divina perfectione non pugnat; neq; enim potest eligere natura malum, non potest se odisse. Sic Angeli boni habent libertatem in actu primo, & in actu secundo, sed eam, quæ cum privilegio impeccantiæ (quod præmium est obedientiæ) non pugnat. Sic iregeniti habent libertatem in actu primo & secundo, non tamen in omnibus objectis: quia enim sunt servi peccati, obdurati in malo, non possunt non peccare, adeoq; magis sponte quam libere peccant. Potest ergo libertas consistere cum aliqua necessitate immutabilitatis internæ ut in exemplis allatis: potest itidem stare libertas cum necessitate consequentiæ, dum supposito fine necessario utendum mediis est: potest item stare libertas creata cum necessitate directionis & providentiæ divinæ, cui nulla voluntas creata est exemta. Sed stare non potest cum necessitate immutabilitatis externæ, quæ est à decretis DEI absolutis, determinantibus non tantum moraliter (objectivè & persvasivè) verum etiam physicè (realiter) & irresistibiliter circumscribentibus voluntarias actiones.

§. 2. Se-

§. 2. Secundo notandum, libertatem arbitrii in homine respectu diversorum statuum considerari posse. *Qui rectè sapiunt*, inquit Bernhardus, *triplicem confitentur operationem, non quidem liberi arbitrii, sed divinæ gratiæ in ipso sive de seipso. Prima creatio, secunda reformatio, tertia consummatio. Primo namq; à Christo creati sumus in libertate voluntatis, secundo reformamur per Christum in Spiritum libertatis, cum Christo deinde consummandi in statum æternitatis.* Formula Concordiæ quadruplicem hominis statum rectè distinguit: *creati, lapsi, reformati & consummandi, sive,* in natura integra & instituta ante lapsum: in natura destituta & corrupta post lapsum, tum ante conversionem, tum in conversionis actu: in natura restitui cœpta post conversionem: in natura olim consummatè restituenda in vita æterna. Ante lapsum homo fuit liber actu primo & secundo, non subjectivè tantum, verum etiam objectivè, dum potuit eligere bonum vel malum, peccare & non peccare, adeoq; liber fuit à servitute peccati, à miseria, à necessitate physica & coactionis: non tamen fuit liber à mutabilitate, non ab obligatione, quâ DEO præcipienti devinctus erat, à quo poterat sese avertere, & sic excidere felicitate concreata.

§. 3. In statu hominis post lapsum retinuit quidem libertatem homo in actu primo, & in actu

secundo, sed non respectu omnium objectorum Respectu enim objecti spiritualis aliter se habet, quam respectu objecti naturalis, moralis, artificialis & sacri externi. In posteriori hoc objecto relicta est homini indifferentia ad utrumq; oppositorum, ut possit objectum unum præ alio eligere, item idem objectum eligere vel non eligere. De naturalibus, moralibus, & artificialibus, res clara est ex innumeris Scripturæ locis, quæ homini lapso notitiam DEI naturalem, cognitionem justi & injusti tribuunt, adeo ut possit *facere ea quæ sunt legis* Rom. II. 14. *Justitiæ* civili & externæ *studere* Rom. X. 3. Huc pertinent consultatio & deliberatio intellectus, leges, consilia, laudationes, reprehensiones, præmia & pœnæ, quæ nullum haberent locum, si non esset in homine potentia ad oppositа, quam libertatem vocamus. Utut vero hæc ita se habeant, & aliqua sit in homine lapso libertas, omnimoda tamen ea & æqualis ad utrumq; oppositorum sive quoad objecta sive quoad actus oppositos indifferentia non est, eo quod multiplicia ipsi tum ab ignoratione veri & recti, tum à voluntatis & affectuum ad mala propensione objiciuntur impedimenta, quo minus etiam in his objectis plenaria libertate gaudere & frui possit. De Ecclesiasticis sive sacris externis pariter res certa est. Potest enim irregenitus ad templum vadere, verbum DEI audire, idq; libenter, scripturam legere, meditari Marc. VI. 20. Act. XXIV. 24. Luc.

24. Luc. XIII. 24. Cæterum in actione externa, quæ est subjecta libero hominis arbitrio, tria sunt attendenda: ipsa actio humana, quæ est naturalis, determinatio actionis ad bonum vel malum, & ejusdem eventus. Actio humana, qvæ est naturalis à DEO velut principio primo & remoto dependet Act. XVII. 28. Determinatio actionis à voluntate est tanquam proxima causa. Eventus si bonus sit, simpliciter à DEO est; sin malus, DEO quidem tribuitur, sed ut alienum opus agenti. Quando de libertate *in* actione quæritur, non de actione quâ naturalis est, neque de eventu quæritur, sed de determinatione, à qua excludendus non est concursus DEI, qui tamen non est ipsa actione prior, sed tum demum ponitur, cum actio exercetur, ac proinde non affert voluntati necessitatem. Distinguenda enim est necessitas antecedens, quæ rationem causæ prædeterminantis habet, à necessitate consequentiæ sive consequente. Non hæc, sed illa infert necessitatem. DEUS autem *sic res ad ministrat, ut eas proprios motus exercere sinat.* August. VII. de Civ. D. cap. 30. Quanquam vero hæc ita se habeant, *tamen in rebus spiritualibus vires liberi arbitrii hoc est mentis & voluntatis plane nullæ sunt & penitus emortuæ, adeoq; in ipsa conversione homo non est causa conversionis efficiens, sed tantum materialis sive subjectum convertendum, & se habet merè passivè.* Uthæc clariora fiant, duo distinctè expendenda. Alterum est, à

sola gratia DEI effici conversionem hominis: Alterum, *non effici conversionem irresistibiliter sive à gratia irresistibili.* Prius ex scriptura manifestum est, quæ & *mentis tenebras* in spiritualibus totales Actor. XXVI. 18. Joh. I. 5. Eph. V. 8. I. Cor. II. 14. II. Cor. III. 5. *& voluntatis captivitatem atq; servitutem* II. Pet. II. 19. Joh. IIX. 34. Rom. VI. 20. inculcat. Hinc est, quod mortuum in peccatis hominem clamat Joh. V. 15. Eph. II. 1. Colos. II. 13. Vocat *cor* hominis *lapideum* Ezech. XXXVI. 20. nempe respectu ἱκανότητος non passivæ sed activæ Dicit φρόνημα τῆς σαρκὸς esse ἔχθραν εἰς θεὸν Rom. IIX. 6. 7. ubi φρόνημα τῆς σαρκὸς est, quicquid homo irregenitus vel mente concipere vel voluntate expedire potest. Vocat conversionem *novi cordis creationem* Psal. LI. 12. *illuminationem* II. Cor. IV. 6. *oculorum apertionem* Actor. XXVI. 18. *cordis immutationem, lapidei remotionem, & novi dationem, emollitionem* Ezech. XXXVI. 26. *vivificationem* Esa. LVII. 15. *regenerationem, ex mortuis resuscitationem* Tit. III. 5. Eph. V. 14. *à sola DEI gratia* non à viribus nostris dependentem Phil. II 13. Jerem. XXXI, 18. Johan. VI, 43. seqq. Jerem. XIII. 24 Matth. XII. 34. & excludentem omne meritum virium humanarum I. Cor. I. 31 c. IV. 1. *Sine me*, inquit Christus, *nihil potestis facere*, Joh. XV. 5. Nihil, inquit Christus. Intelligendus ergo est non positive, sed negative & exclusive. Ex his patet, hominem esse conversionis non operantem vel cooperantem causam, sed tantum mate-

materialem. Auditus quidem verbi est organon conversionis, sed hoc studium nullo modo est meritum sive ex congruo sive ex condigno. Quare in naturali hominis facultate non est habere voluntatem vel non repudiandi primum gratiæ motum, vel active amplectendi illum si offeratur. Omnis quippe voluntatis determinatio sive negativa ad non resistendum, sive positiva ad admittendum gratiam, excedit naturæ vires. Interim homo per gratiam prævenientem recipere proximè potest ipsum gratiæ operantis motum. Sine Sole nemo videt Solem, sine DEO nemo accipit DEUM. Neque tamen homo in conversione se habet ut potentia pure pute obedientialis sive objectiva, neque ut potentia bruta, sed ut potentia rationalis, destituta interim omnibus ad conversionem viribus, neque quicquam habens, quo ad conversionem se disponere possit, & sic in peccatis mortua. Quo respectu non male talis dicitur esse potentia convertendi ad conversionem, qualis est in nihilo ad rerum productionem, in tenebris ad recipiendam lucem, in mortuo ad vitam. Irregenitus enim fugit DEUM, peccata cumulat, in DEUM transfert peccatum, DEUM accusat, non vult agnoscere peccatum. Estq; adeo in convertendo potentia ad conversionem passiva, sed remota, similis potentiæ obedientiali. Remota inquam: nam ut proximè recipiat homo gratiam conversionis sive motum gratiæ operantis

tis converſionem, neceſſe eſt dari homini gratiam DEI prævenientem, quæ ex potentia remota efficiat proximam, cujus effectus eſt non repugnantia malitioſa. Sunt ergo in converſione & vires & indifferentia à DEO, non autem alterum à DEO, alterum à natura, ut *Pelagius* dicebat, diſtinguens inter velle, poſſe & agere; τὸ velle & agere tribuens naturæ, non autem τὸ poſſe. Nempe vires ad bene agendum Pelagius DEO acceptas ferre tandem cogebatur: libertatem vero & indifferentiam æqualem ad utrumq́, extremorum naturæ corruptæ tribuebat. Sed talis libertas in actu primo vel ſecundo ſpectata conſiſtens in æquali indifferentia homini convertendo omnino deneganda eſt. Nam etſi vires gratiæ prevenientis homini ſint per verbum auditum lectumve gratioſe oblatæ, tamen ſua natura fertur in idquod malum & DEO exoſum eſt, nec habet æqualem ad utrumq; extremorum (bonum ſcil. & malum ſpirituale) indifferentiam. Cæterum quia nec ſaxum nec brutum convertitur, ſed homo ratione præditus & libertate, ideo DEUS non agit per vim & irreſiſtibiliter in hominem, ſed per certa media, quibus homines repugnare poſſunt. Adeoq; eadem media ſunt, quæ credentes convertunt, & quæ ab incredulis rejiciuntur, idem ſemen ſive incidat in ſpinas, petram, ſive deniq; in terram bonam, idem verbum omnibus prædicatur, cui obediunt credentes, ſed plurimi reluctantur. Atq; hoc alterum eſt circa gratiam converſionis probe

probe attendendum. Flectit quidem DEUS hominem supernaturaliter & determinat ad conversionem eos, qui mediis salutis non opponunt novam contumaciam, sed non determinat irresistibiliter, sive physice sive moraliter, non fataliter & absolute necessitat. Positis enim omnibus gratiæ auxiliis adhuc in hominis convertendi potestate est, non converti. Cui thesi favent manifesta scriptura loca Matth. XXIII 37. Act. VII. 51. Esa. V. 1. seqq. c. LXV. 2. Ezech. XII. 2. Matth. XI. 21. Joh. V. 34. 40. &c. Quorum locorum vindicias vide sis in Exercit. de Fato Calv. §. 54. Dico non converti in hominis potestate esse: nam converti sive obedire gratiæ divinæ non est in potestate vel arbitrio humano.

§. 4. Ultimum est: *post conversionem homo incipit operari*, quia tum factus est liber. Ubi enim Spiritus DOMINI est, ibi libertas est II. Cor. III. 17. Et tum dicitur gratiæ DEI cooperari. Nota gradus gratiæ: prævenientem & excitantem, operantem, cooperantem, continuantem, coronantem. Prævenit DEUS hominem gratia sua, dum non tantum per organa gratiæ verbum & sacramenta confert vires supernaturales ad credendum & bene agendum, verum etiam excitat bonos motus, cogitationes pias inspirat, & boni propositi motum immittendo gratia sua hominem prævenit, movet & impellit voluntatem & quamquam ex serva nondum sit facta liberata, & adhuc fluctuet quasi & pendeat, tamen repugnare malitiosè

malitiosè desinat, & cum carne luctari incipiat, quæ tamen lucta cum carne, pugna cum dubitatione & id genus aliæ actiones, sine quibus conversio non fit, sive ex toto sive ex parte quantulacunq; virium humanarum facultati adscribenda non est. Sequitur gratia operans, quæ ex nolente volentem, ex servo peccati liberum hominem facit, dum mentem nova luce colluſtrat, voluntatem supernaturaliter modoq; ineffabili flectit & ad assensum salutarem determinat, ut spirituale lumen videat homo & id sequi firmiter sibi proponat. Et huc illi quoq; referendi, *qui primitias Spiritus Sancti & principium aliquod sive scintillulam fidei acceperunt, quæ remissionem peccatorum propter Christum amplectitur*, ut loquitur Form. Con. pag. 671. Gratiam operantem excipit cooperans, per quam edimus actus fidei, spei, charitatis. *Quam primum enim Spiritus Sanctus per verbum & Sacramenta opus suum regenerationis & renovationis in nobis inchoavit, tunc per virtutem Spiritus Sancti cooperari possumus & debemus, quamvis multa adhuc infirmitas concurrat. Hoc vero ipsum, quod cooperamur, non ex nostris carnalibus & naturalibus viribus est, sed ex novis illis viribus & donis, quæ Spiritus Sanctus in conversione in nobis inchoavit*, quæ sunt verba Form. Con. pag. 674 ubi etiam τὸ cooperari explicat, quod *non sit eo modo cooperari, quemadmodum duo equi simul una currum trahunt.* Continuans gratia est, per quam homo renatus crebris fidei, spei, charitatis &c. actibus præstitis acqui-

acquirit in operando facilitatem firmam, quæ est habitus fidei, spei & charitatis, ex quibus habitibus eliciuntur postea actiones cum facilitate, imo majori etiam rectitudine, cum ante acquisitionem illorum habituum elicrentur cum majori difficultate & imperfectione. Sed hoc continuanti gratiæ debetur, *sine qua homo ne ad minimum momentum in obedientia divina perseverare posset* ut loquitur F. C. loc. cit. Ultimus gratiæ coronantis est gradus, secundum quam DEUS id, quod in hac vita in nobis inchoat, in futura consummabit & coronabit. Ex his patet, DEUM in salutis negotio ordinem servare & habenti dare, neq; in potestate ejus, qui prævenientem gratiam habet, esse, ut operantem habeat, multo minus ut immediatè obtineat continuantem. Successivè gratiam prævenientem, operantem, continuantem, coronantem obtineat necesse est. Simul patet, eum, qui & prævenientem & operantem gratiam habet, posse & debere non solum per determinationem voluntatis negativam (non resistendo) sed & per determinationem voluntatis positivam, (credendo, diligendo &c.) DEO cooperari. Unde tamen non sequitur, eum legem DEI perfectè implere posse in hac vita, & per hanc impletionem legis, coram DEO justificari & vitam æternam promereri. Contrarium docet Spiritus Sanctus Rom. VII, 14. Act. XV, 10. Gal. II. III. IV.

AN.

ANTITHESIS.

§. 1. Rejiciuntur omnes illi, qui quoquo modo libertatem arbitrii oppugnant, sive id faciunt directè, sive indirectè. Inprimis illi, qui homines ad nullam actionem libero pollere arbitrio, sed ad ea, quæ agunt, absoluta quadam necessitate impelli contendunt, de quibus vide Exercit. præced. Antith. §. 4. Sed & illi rejiciuntur, qui liberum quidem arbitrium defendunt, ejus tamen vim collocant in spontaneitate & immunitate à coactione & pro æquipollentibus habent liberè fieri & sponte fieri. Quales sunt Calviniani, qui hoc pacto nõ tantum libertatem attribuunt brutis sponte & incoactè se moventibus, plantis sponte crescentibus, elementis sponte vel deorsum vel sursum tendentibus, stellis sponte in expanso currentibus, verum etiam libertatem planè è rebus tollunt & cum necessitate confundunt. Necessarium enim est, quod aliter esse non potest, liberum, quod aliter esse potest. At ex hac hypothesi hæc distinctio perit. Quæ enim maximè necessario fiunt, ut cum ignis sursum tendit, terra deorsum, liberè fieri dicuntur. Deinde si spontaneum & liberum nihil differunt, non poterit fieri, ut quis aliquid magis sponte velit, quàm liberè, vel magis liberè, quam sponte. At qui merces ejicit tempestate coorta, magis liberè agit, quam sponte. Qui

cœco

cœco amore fertur in scortum, magis sponte, quam libere propter majorem προαιρέσεως defectum agit. Objicies I. DEUM libere bonum esse, sed non indifferenter II. Hominem animalem libere i. e. incoacte odisse DEUM & male agere, interim necessario & non indifferenter. Eandem rationem esse Diabolo. III. Angelos in bono confirmatos necessario non peccare, interim libere i. e. incoacte non peccare: Christum necessario obediisse Patri, interim libere seu incoacte Resp. ad I. Si bonitas accipiatur de naturali & essentiali DEI proprietate, dicimus DEUM non libere sed necessario bonum esse. Proprietates enim essentiales necessario insunt. At alia ratio est actuum secundorum, quos libere edit DEUS libere sua bona communicando, ut possit & non communicare. Ad II. Odium DEI & malam actionem considerari posse dupliciter, quoad speciem & quoad genus, item ratione actus & ratione principii, à quo actus fluit. Homini animali & irregenito competit libertas specificandi hoc vel illud peccatum, potest enim manum abstinere à furto, cæde, rapina: interim non habet libertatem à necessitate planè non peccandi. Et concedimus respectu actus esse necessitatem, interim ratione principii, à quo actus secundus provenit, nempe peccati originalis, libere & indifferenter se habet odium illud. Exstitit enim qui-

vis homo in Adamo sibi libera causa corruptionis, habitus nempe ignorantiæ & impotentiæ ad bonum spirituale, atq; hujus habitus respectu homo animalis, qua talis, semper vult malum universè spectatum, nec potest id non velle. Sicut qui habitum morbi, avaritiæ, ebriositatis suo sibi vitio attraxit, non potest non avaritiæ & temulentiæ deditus esse, utut in initio in ejus potestate fuit non contrahere hunc sive corporis sive animi morbum. Semper ergo & necessario vult homo irregenitus, quâ talis, malum, puta bonum caducum & apparens, ad quod tamen obtinendum media indifferenter & liberè eligit atq; adhibet. Interim, ubi homini confertur gratia per verbum ad conversionem, jam potest beneficio gratiæ non odisse, quam naturæ vitio non potest non odisse. Idem judicium de Diabolis, de quibus recte pronunciat Bellarm. lib. V. de grat. & lib. arbitr. cap. 14. *Illa propositio: dæmones semper necessario malè agunt, in aliquo sensu est falsa, in aliquo vera. Verum est in genere, eas non posse nisi malè agere, falsum tamen est in particulari, omnia mala quæ faciunt, illos necessario facere, possent enim multa non facere, quæ faciunt, & ideo non necessitate, sed voluntate committunt.* Ad III. Angeli & beati necessario non peccant, interim tamen etiam liberè non peccant. Sunt exemti Angeli à libertate contrarietatis, quæ est inter bonum & malum

(hæc

(hæc perfectio hujus est vitæ, non futuræ) manente interim semper libertate contradictionis. Christus ad satisfactionem se libere obtulit ab æterno, neq; fuit prædeterminantibus decretis necessitatus ad hanc sponsionem. Sicut libere DEUS creavit hominem, hoc est, potuit creare & non creare: sic Filius DEI ab æterno libere spopondit. At postquam semel spopondit, satisfactio jam fuit necessaria, necessitate veracitatis, cui se semel condixit *passurum*. Sed hæc sufficiant de *indifferentia voluntatis*. Hunc errorem sequitur novus error de determinatione voluntatis ad volendum facta ab ultimo judicio intellectus practici, quam pariter rejicimus. Sunt inter Pontificios, qui cum Bellarmino; & inter Calvinianos, qui cum Camerone, Maccovio, Hoornbeck statuunt determinari præelectionem voluntatis ab ultimo judicio practici intellectus. Per hanc necessitationem voluntatis ad parendum ultimo judicio intellectus perit libertas. Judicium enim intellectus *nullo modo liberum esse & Bellarminus ipse concedit* lib. 3. de grat. & lib. arb. cap 8. prop. V. §. 3. & ratio dictat. Objecto enim evidenter proposito non potest dicere, album est nigrum, &c. sed necessario verum dicit. Voluntas autem necessario eligit id quod ultimum judicium intellectus practici determinavit esse eligendum. Ubi ergo manet hominis libertas? Stante hac

sententia, sequitur, articulos fidei salvificæ non credi, sed per demonstrationem sciri. Sequetur opus non esse, ut in regeneratione & conversione voluntati novæ qualitates infundantur, eo quod per solam mentis illuminationem irresistibiliter trahitur voluntas. Sequetur, nec in voluntate nec in intellectu culpam esse, cur plurimi homines non convertantur. Non in voluntate: hæc enim sequi non potest, quod non sufficientibus rationibus proposuit eligendum intellectus. Non in intellectu: hujus enim ultimum judicium necessario adæquatur ultimæ dispositioni objecti, nec est liberum, quoad specificationem; *si ei proponantur argumenta necessaria, necessario assentitur, si probabilia, necessario opinatur, si contraria æquè probabilia, necessario dubitat*, quæ sunt ipsius Bellarmini verba cap. 8. prop. V. §. *rursus*. Ergo in DEO culpa residebit, qui objectum salutis non proposuit claritudine sufficienti. Sequetur, veram & intrinsecam voluntatis corruptionem non dari. Quam enim corruptionem adversarii statuunt, ea externa est à defectu lucis in intellectu. Sequitur deniq; Pelagianismus everso Catholicismo Pelagianum est, statuere solam objectivam revelationem divinæ voluntatis ad conversionem sufficere, sine ulla immediata, interna, inq; ipsam voluntatem impressa gratia, *ad scientiam quidem nos habere gratiam Christi, ad charitatem non habe-*

habere gratiam; gratiam, inquam, immediatè voluntatem nostram afficientem, eiq; vires ad actum charitatis supernaturales eliciendos sufficientem. Catholicum est, DEUM *interna atq; occulta mirabili atq; ineffabili potestate operari in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* August. lib. 1. de grat. Christi cont. Pelag. cap. XXIV. Si veræ sufficerent revelationes, utiq; frustrà adderentur bonæ voluntates. Vide Exercit. de Fat. §. 48. seqq. Deniq; rejicimus tum Calvinistas, tum Papistas, eos videlicet, qui docent, quod non tantum moraliter voluntas humana à divina gratia prædeterminetur, sed etiam physicè, per irresistibilem subordinationem & dependentiam voluntatis humanæ à divina. Quales sunt Bannes, Cumel, Ledesma, Alvaretz, aliiq;. A quibus parum absunt Jesuitæ quidam, inter quos Bellarminus, qui *talem operationem gratiæ congruæ statuunt, quæ tali modo & tempore, sicut* DEUS *hic & nunc aptum fore prævidit, proponit objectum eligibile, cum his rationibus & argumentis, à quibus intellectus non potest non moveri & per intellectum voluntas.* Et hanc gratiam ideo dicunt non rejici, quia subest scientiæ mediæ, & quia placuit DEO ea uti ad exsequendum infallibile prædestinationis decretum. Vide §. 3.

§. 2. In specie rejicimus Calvinianos, statuentes, DEUM ab æterno absolutè prædefiniviss̃e

antecedenter determinare actum Adami, quo comedit de fructu arboris vetitæ. Qualis est Maccovius, qui non erubescit asserere in Theol. Polem. cap. VI. q. 2. *Adamum potuisse in statu integritatis stare in sensu diviso, ratione sui: sed non potuisse in statu conjuncto, respectu DEI, cujus decretum fuerit immutabile, ut laberetur, nec absurdum esse, si dicatur, Adamum fuisse à DEO obligatum ad impossibilia.* Resp. Si ad impossibilia Adamum obligavit DEUS, egit contra bonitatem & justitiam suam. Et quomodo cohærent ista: Adam stare potuit in sensu diviso, non in sensu conjuncto, respectu sui, non respectu DEI? Nunquid ille, cui necessitas labendi per decreta divina à priori imposita est, nec auxilium habet sufficiens standi, ut fatentur adversarii, potest ratione sui stare? Necesse ergo fuit labi Adamum, & in sensu composito, ut manifestum, & in sensu diviso, quia decreti divini ea vis est, ut effectus ejus non potuerit interverti ab Adamo. Objicit Maccovius: Si homo in statu integritatis mansisset, potuit & plus boni facere, & plus mali omittere. Utrumq; absurdum. Sic enim peccasset, si plus boni non fecisset & plus mali omisisset. Resp. non omnem omissionem esse peccaminosam. Præcepta enim affirmantia semper quidem obligant, sed non ad semper. Sufficit, quod omne malum omisisset in illo statu Adam.

§. 3. Rejicimus tum omnes eos, qui liberum arbitrium hominis penitus tollunt, tum in specie

Flacium.

Flacium & Flaciamos docentes, *animam rationalem per lapsum quoad essentiam interiisse*, unde consequitur voluntatem ejusq; libertatem non potuisse manere superstitem: *item* DEUM *in conversione hominis substantiam, præcipuè animam rationalem penitus tollere.* Quibus affines Weigeliani & Methistæ qui *novum corpus in conversione homini dari statuunt.* Nec probantur nobis Calvinistiani, qui inde, quod statuamus in hominis irregeniti potestate esse ad templum vadere, verbum DEI audire, ut meditetur, discat, & hanc esse conditionem quandam extrinsecam pertinentem ad objectum convertendum, concludunt, nos in arbitrii humani potestate constituere gratiam. Fatemur quidem DEUM studium verbi externum, seu pædagogicum requirere, ut aliquid antecedens ipsam conversionem, quodq; insubjecto convertendo ex ordinatione divina requiritur, nec dubitamus DEUM ordinariè studio illi externo adesse & per verbum lectum anditumve pro incredibili sua φιλανθρωπία homini auxilia gratiæ prævenientis & excitantis adspirare, negamus tamen inde sequi, gratiæ prævenientis & excitantis efficaciam pendere ab arbitrio humano. Quid? quod eandem viam instant adversarii ratione electorum suorum. Sibel. Tom. V. op. Theol. p. 1. pag. 267. hæc verba sunt: *Decretum* DEI *de hominibus convertendis non excludit sed includit media. Quemadmodum agricola sciens*

uberatem frugum & fructuum à DEI *benedictione pendere, quod suum est, facit; agrum colit, semen terræ mandat, incrementum à* DEO *exspectat: ita & nobis ex præcepto & ordinatione* DEI, *verbum resipiscentiæ & reconciliationis audiendum, ac lex meditanda. Per hæc enim media efficax est* DEUS *ac virtute Spiritus conversionem dat electis. Ergo licet resipiscentia non sit in nostra manu, mediis tamen à* DEO *præscriptis uti nos decet: & felix eventus docebit, aurem verbo salutis & conversionis nos frustra minime commodasse.* Rejicimus quoq; Svencfeldianos & Enthusiastas statuentes, DEUM sine adminiculo verbi & ullius organi immediato quodam raptu, vel per speculationem somniorum illabendo hominem convertere. Quibus adde portenta Enthusiastica pletorumq; Calvinistarum, inter quos Maccovius, qui in Thol. Polem. cap. XV. XVI. quest. 2. 3. defendit: *verbum* DEI *non esse causam fidei* (ut vocat) *habitualis infusæ, quia* SINE VERBO *regeneramur: non regenerari hominem per verbum quoad primum momentum: fidem illam habitualem & infusam immediate esse causam fidei actualis tantum objectivam: fidem actualem non esse causam regenerationis vel justificationis, nisi quoad sensum tantum: justificationem activam esse priorem fide, adeoq; peccata hominibus remitti, antequam actu credant.* Deniq; rejicimus omnes cum veteres tum recentes gratiæ divinæ pariter & libertatis arbitrii hostes, qui vel coope-

cooperationem humanarum virium in conversione, vel vim gratiæ divinæ irresistibilem defendunt. In priori classe fuere olim Pelagius ejusq; asseclæ, *conversionem solis naturæ & liberi arbitrii viribus tribuentes*; Itemq; Semipelagiani, qui *conversionis opus inter DEUM & hominem partiebantur*, quos postea secuti Scholastici & Pontificii hodierni, atq; cum primis Jesuitæ denegantes homini naturali non omnem potentiam ad supernaturale bonũ sed potentiam solum exercitii & exercitio proximam, adeoq; docentes *homini natura inesse libertatem sive potentiam activam ad eligendum bonum supernaturale, sed eam impediri, donec gratia* DEI *naturam adjuvet, impedimentum removeat, facultatemq; insitam* eliciat. Nempe intelligunt gratiam externam, quam dicunt requiri ut conditionem sine qua non, nequaquam vero ut causam efficaciter agentem. Hinc est, quod liberum arbitrium comparant homini ferreis soleis devincto, aviculæ funiculo alligatæ, quæ quidem habet potentiam volandi, sed non potest illam libere in actum producere. Bellarm. lib. 6. de grat. & l. arb. cap. 15. gratiam cum arbitrio concurrentem comparat objecto seu speciei sensibili, *quæ videndi facultatem non confert, sed latentem duntaxat excitat: duobus viris, qui ferant ingentem lapidem, quorum unus quidem ferre non possit, at neuter alteri vires addat, nec impellat, & utriq; sit liberum onus relinquere: imo operationem voluntatis* DEI *adjutorio esse priorem*

rem dicit loc. cit. Bellarminus, eoq; ipso gratiam prævenientem tollit Becan. de auxil. grat. Christi cap. III. th. 7. sic scribit: *Si quæratur prima radix, quare hæc gratia sit efficax, illa inefficax, recurrendum est ad liberam cooperationem voluntatis, adeoq; prima radix, ex qua gratia vocatur efficax in actu secundo, sumenda est ex eventu seu libera hominis cooperatione.* Nostra eaq; orthodoxa sententia est, si quæratur, quæ sit causa, cur alii convertantur, alii non convertantur, respondendum esse, *alios* converti, quia non opponunt impedimentum novæ contumaciæ; alios non converti, quia novæ malitiosæ & affectatæ repugnantiæ obicem ponunt. Neq; qui non impediunt, dici possunt cooperari ad conversionem suam: nisi quis contendere velit, eum, qui non obvelat fenestras, cooperari vel adjuvare solem in ædibus illuminandis. Nulla est in irregenito positiva dispositio sive actualis ad conversionem: negativa, proh dolor! in omnibus est. Si amplius quæras, cur alii naturali & originariæ repugnantiæ malitiosam addant, alii non: respondendum, quod ideo quidam malitiosè repugnant, quia volunt & per naturam depravatam possunt: contra ideo alios non repugnare, quia repugnare nolunt, & non repugnare per vires gratiæ prævenientis atq; excitantis possunt. Tandem quæres, annon ille, qui non resistit & sic convertitur, dicendus sit majorem habere gratiam, quam alter, qui resistit & non convertitur

tiur. Resp. gratiæ gradum primum per verbum offerri tam illi qui convertitur, quam illi, qui non convertitur, adeoque porrigi & exhiberi utriq; gratiam prævenientem, cujus effectus est posse non repugnare tractui divino intellectum illustranti & largienti voluntati vires ad conversionem. Interim gradus majores solus ille nanciscitur, qui non excutit primum, gradus nempe gratiæ operantis & cooperantis, quam si in fide perstat homo, excipit gradus gratiæ specialissimæ, quæ propria est electorum. Habendi quippe dabitur. Conf. Exerc. de Fato §. 26. 54. Pontificios & Pelagianos vetereſ dum rejicimus, simul rejicimus Pelagianos & Semipelagianos recentiores, Socinianos, Arminianos & quotquot assensum fidei dicunt esse in hominis arbitrio & potestate. In specie rejicimus Synergistas statuentes, *voluntatem cum divina gratia in primo statim conversionis momento συνεργεῖν atq; assentiri, tametsi id fiat langvidius.* Ad quos referendi quoq;, qui *voluntatem humanam numerant inter causas conversionis*, & modiculi Erasmiani defensores, qui *aliquid quantumvis infirmum homini inesse* contendunt, *quo semet applicare & ad gratiam præparare possit.* Verior eaq; nostra sententia est, per gratiam convertentem verbo audito & lecto inditam inclinari hominis intellectum & voluntatem, non quidem per Physicam & irresistibilem prædeterminationem, ita ut quandam vim necessitantem imprimat in voluntatem

tatem sive immediatè sive mediante ultimo judicio intellectus practici, sed partim moraliter per imperium, exhortationem, correptionem, svasionem, partim supernaturaliter modo inexplicabili Joh. III. 8. Et sic intelligimus tractionem Joh. VI. 44. & καταλήψιν, qua Paulus se dicit à Christo apprehensum Phil. III. 12. atq; agnitionem, quâ agniti sumus, Gal. IV. 9. I. Cor XIII. 12. Quo respectu rectè dicitur voluntatem in conversione se habere mere passive, nempe respectu virium spiritualium ipsarumq; adeo partium conversionis essentialium, contritionis & fidei, quæ passiones nullatenus à viribus humanis prodeunt, sed unicè à viribus gratiæ prævenientis excitantis & operantis proficiscuntur. Dices: credere esse agere eò quod fides sit causa instrumentalis, cujus causalitas non passio est, sed actio, Respondeo, nihil obstat, quo minus idem motus diverso respectu sit actio & passio. Calefactio ut ab igne fit, est actio, ut recipitur in aqua est passio. Sensio v. g. visio, ut fit à specie per objectum impressa & recepta, est passio, ut oritur à potentia videndi activa (esse enim eandem potentiam activam & passivam ex Physica constat) est actio. Perturbationes sunt passiones respectu corporis, quod suscipit mutationem à facultate appetente impressam: respectu facultatis appetentis sunt actiones, quatenus ab ea ut principio eliciuntur. Similem in modum & credere passio est, quatenus à gratia operante voluntas nostra determinatur ad assensum salu-

salutarem: quatenus vero homo conversus beneficio gratiæ cooperantis credit, eatenus est actus à converso elicitus. Priori respectu habet locum in conversione: Posteriori in articulo de justificatione, ubi actio fidei tanquam causæ instrumentariæ intervenit, quanquam non ut actio præcisè, verum ut in objectum Christum tendit, hominem justificat. Ille respectus præcedit, hic sequitur: quanquam sint copulatissimi conjunctissimiq; Quin etsi ponamus, in conversione dari actus intelligendi & intelligendi supernaturales, cosq; dicamus ab homine tanquam à supposito, & ab ejus intellectu & voluntate promanare, nondum tamen sequitur: Ergo in ipsa productione volitionis homini aliqua competit cooperatio, multo minus: Ergo DEUS, qui operatur illud velle, vult converti. Sicut non sequitur: Christus in Lazaro mortuo operatus est actum vitalem tam primũ quam secundum per revocationem à mortuis Ergo ipsi Christo cooperatus est Lazarus mortuus, aut, Ergo ipse Christus vitam Lazari vixit. Etsi n. Lazarus mortuus merè passive se habuit respectu recuperatæ vitæ. *fuit tamen illud suppositum, à quo* actũ vitalem promanare voluit Christus vitæ unicus dator & principium efficiens. Sed non ut in Lazaro vitam, sic in homine fidem irresistibili virtute operatur Christus. Simile non idem. Errant enim (quæ altera errantium classis est) Thomistæ (Dominicani) & Calviniani, fingentes, *gratiam divinam physicè hominem determinare per irresistibilem subor-*

subordinationem & dependentiam voluntatis humanæ à divina De Calvinianis vide Exerc. de Fat. §. 51. seqq. Thomistæ recentiores (Dominian.) docent Tridentin. Concilii hanc esse sententiam, quod *arbitrium motum per DEI gratiam libertatem quidem habeat in sensu diviso, hoc est, quando abstrahitur à divina gratia: sed hac posita non inesse porro libertatem dissentiendi in homine, verum consensum esse illum effectum, qui necessario à divina gratia producitur.* Contrariam sententiam, quæ posita DEI gratia arbitrio indifferentiam tribuit, Bannes Pelagianam vocat. Eadem est Gvililmi Estii & Francisci Sylvii Professorum Duacensium, Didaci Alvaretz Tranensis Archiepiscopi, Gasparis Ram Professoris Oscensis, Petri Ledesma Professoris Salmanticensis, Johannis Matthæi Rispolis, Pauli Bennii & recentiorum Thomistarum communis sententia, quam plerique ex Hispanis, omnes ex Belgicis modernis Theologis propugnant, ut probat CL. Hulsemannus Man. Aug. Confes. Disp. XVI. & XVII. Neq; Thomistæ soli irresistibilem gratiam defendunt. Ipse Bellarminus & sequaces dum determinationem voluntatis non tantum ab ultimo judicio intellectus practici, verum etiam à gratia congrua defendunt, in ejusdem erroris veniunt societatem. Verba Bellarmini lib 4. de grat. & lib. a. cap. XVI. §. Atque hinc sunt hæc: *S. Thomas concludit: Posita DEI motione impossibile esse, ut voluntas non moveatur, absolute autem non esse impossibile, quia videlicet potest voluntas non se dispo-*

disponere, per negativam determinationem & motionem DEI recipiendam. Simile est, quod supra diximus de concordia ultimi judicii practici & liberæ electionis: sicut enim posito ultimo judicio practico fieri non potest, ut voluntas non eligat id, quod tunc ei à ratione proponitur, & tamen electio libera est, quoniam ipsum judicium practicum est in potestate voluntatis, propter negativam præcedentem determinationem: sic etiam posito influxu DEI fieri non potest, ut voluntas non operetur; & tamen operatio libera est, quoniam influxus DEI non ponitur, nisi prius voluntas per negativam determinationem ad illum recipiendum se disponat. Hæc Bellarminus, qui lib. 1. de grat. cap. 12. gratiam hanc ideo non posse rejici addit quia DEUS ea utitur ad exequendum infallibile prædestinationis decretum. Neq; enim intelligi posse, quo pacto gratia efficax consistat in interna svasione, quæ per liberum arbitrium respui potest, & tamen infallibilem habeat effectum, nisi addamus, DEUM iis, quos efficaciter & infallibiliter trahere decrevit, eam svasionem adhibere, quam videt congruere ingenio eorum, & quam certo novit ab iis non contemnendam. Conferea, quæ habet Bellarminus lib. 2. cap. 13. ubi docet, prædestinatorum naturas in utero ad hoc formari, ut congruant futuræ vocationi atq; ita prædestinationem radicem esse & originem omnium bonorum. Hæc ille. Geminum ergo impedimentum libertatis est in electis secundum Bellarminum: alterum à natura electorum, quæ sic condita est, non possit non consentire vocationi; alterum à

gratia

gratia DEI congrua & efficaci, quæ est medium exequendæ prædestinationi infallibiliter adhibendum. Quo posito, quid aliud concludendum, quam absolutum prædestinationis decretum æque Jesuitas ac Calvinistas propugnare? Sed de hoc infra latius, DEO volente.

§. 4. Rejiciuntur Semi-Enthusiastæ, qui *& in & post conversionem hominis voluntatem Spiritui S. perpetuo hostiliter repugnare statuunt, & Spiritum S. donari etiam illis, qui ex proposito & pertinaciter illi repugnant.* Vid. CL. Hutt. in For. Con. p. 238. Postremo rejiciuntur Pontificii, Sociniani, aliiq;, qui docent *hominem conversum sic Deo cooperari posse, ut lex sit absolutè possibilis, & per legis impletionem vitam æternam homo promereri possit.*

Perexímio Dn. RESPONDENTI,
Pridem Argentorati amico
S. P. P.

ARbitrii quondam libertas, nobile donum,
Perdita lapso homine est! servitus introiit,
Imprimis tecum si spiritualia pendas,
Et quam sit miser hic intuearis homo.
Blanditur sibi cœca cohors: pars cuncta remittit
Seu benefacta sient, seu malefacta Deo.
Pars libertatem negat interiisse: minutam
Et saltem modicam, pars superesse putat.
Conjiciunt illi in Numen peccata, feroces.
Ignorant hi se & male deficiunt. (strat,
Dum Duce MAURITIO Tibi verum FORMULA mon-
Laurea, LAURENTI, te radiosa manet.

Joh. Georg. Dorscheus, Argent. D.

IN FORMULAM CONCORDIÆ EXERCITATIO QUARTA DE JUSTIFICATIONE HOMINIS CORAM DEO.

Quam

ANNUENTE SUMMO NUMINE

Consentiente VENERANDA FACULTATE THEOLOG.

Sub Præsidio

Viri Admodum Reverendi, Excellentissimi atq; Amplissimi,

DN. CASPARI MAURITII,

S.S. Th D. Clarissimi P. P. & Past. ad D. Mariæ nec non Eccles. Rost. Superintend.

Eruditorum Examini

Die Maji.

Subjiciet

REINHOLDUS DERSCHOW,

N. B.

ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII,
Acad. Typogr. Anno 1654.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730401073/phys_0113
DFG

DEO DUCE!

ARTICULUS III.

DE JUSTIFICATIONE HOMINIS CORAM DEO

Ἀφορμὴ exhibens statum controversiæ.

ORigo certaminis de Justificatione heterodoxia fuit Osiandri & libelli INTERIM. Osiander disputavit, Christum nostram esse justitiam ratione essentialis justitiæ suæ secundum divinam naturam tantum, cui esse opposuit Stancarus, defendens, Christum esse Justitiam nostram secundum naturam humanam tantum. In libello Interim justitia fidei describitur merito Christi & charitate, quatenus ad fidem & spem accedat, unde factum, ut nonnulli Theologi docuerint, particulam exclusivam, SOLA fide, non esse adversus Romanenses urgendam, neq; admodum pro ea pugnandum, sed dicendum potius: nos præcipue salvari Fide. Quæritur ergo, secundum quam naturam Christus sit justitia nostra, an secundum divinam tantum, an secundum humanam tantum, an vero secundum utramq;. Item, an justificemur sola fide, & an particula sola sit adhibenda ad explicandam orthodoxiam nostram.

Thesis,

THESIS

Justificatio est actio DEI judiciaria, quæ ex mera gratia tantum propter meritum Christi fide apprehensum homines peccatores remissis illorum peccatis & obedientia Christi imputata absolvit & hæredes vitæ æternæ efficit.

§. 1. In hac thesi quinq; expendenda. Primum est vox justificationis. Vox justificare, δικαιόω, qualiter redditur Ebræorum הִצְדִּיק, propriè & fere semper ex usu linguæ Ebrææ accipitur significatione forensi, estq; justificatio actio judicis & judicii, quâ quis ab intento crimine absolvitur & justus censetur, opponiturq; condemnationi Exod. XXIII. 7. Deut. XXV. 1. Proverb. XVII. 15. I. Reg. IIX. 32. Ezech. XVI. 51. Luc. VII. 29. XVI. 15. In specie sic accipitur hæc vox, dum agitur de judicio DEI absolventis hominem peccatorem coram tribunali divino Psal. CXLIII. 2. Job. IX. 2. Rom III. 9. seqq. & opponitur condemnationi Rom. IIX. 33. 34. Si ergo condemnatio, cum DEO tribuitur, est actus judicis ad pœnam deputantis (vid. Bellarm. lib. 2. de justif. cap. 3.) sequitur & justificationem esse *judicis actum absolventis, pro justo habentis* sive justitiam communicantis *& justificato præmia tribuentis.* Hæc enim tria complectitur hic actus judicialis. Et hinc est quod totus justificationis actus forensi pro-

processu describitur, & justificari idem est, ac non judicari, non venire in judicium Joh. III. 16. seqq. Quin simplex quoq; verbum FACERE sæpe (ubi id requirit contextus) idem est ac censere, æstimare, reputare ut Rom. II. 25. 26. II. Cor. V. ult. Et hæc vocis justificationis vis est secundú Scripturas, quam minimè ignoravit antiquitas. Quanquam enim Augustinus eumq; secuti alii in disputationibus adversum Pelagianos abutentes hac voce in vitium vitio trusi sint alieno, ipsiq; hac voce propter communitatem quorundam actuum justificationis & renovationis nonnunquam abutantur, docentes DEUM justificare, id est, inhærenter justum facere seu renovare nos absq; operitur, cum nihil sit in nobis, quod DEUM ad gratiam nos renovandi movere possit: non tamen semper sic voce illa utuntur. Bene enim August. de Spir. & lit. cap. 26. Certè, ita dictum est, justificabuntur ac si diceretur, justi habebuntur, justi deputabuntur sicut dictum est de quodam: Ille autem volens justificare seipsum, id est, ut justus haberetur *vel* deputaretur. *Vid.* August. lib. 1. ad Bonif. c. 21. & in Psalm. XXXI. 1. & Bernhard. Epist. CXC. &c.

§. 2. Alterum est vox Gratiæ, qua denotatur misericordia DEI sive affectus benevolus liberandi homines à peccato & justitiam dandi. Et hic favor DEI gratuitus sive clementia DEI, qua pœnas remittit, & justitiam donat est causa efficiens justificatio-

cationis. Cæterum hæc gratia DEI, non uno modo justificationem procurat. Nam & justificamur τῇ χάριτι θεοῦ, & justificamur δωρεὰν. Rom. III. 24. Prius justificationem à sola DEI misericordiâ proficisci : alterum gratuitam esse innuit. Et à misericordia quidem DEI est, quod DEUS commendat suam erga nos charitatem Rom. V. 8. diligitq; mundum Joh. III. 16. quodq; misit Filium unigenitum in mundum, donum donorum Joh. IV. 10. qui tradidit semetipsum pro nobis I. Joh. IV. 9. 10. Gal. II. 20. quodq; nos per organa gratiæ vocat ad participationem salutis I. Pet. V. 10. II. Cor. V. 18. quodq; per hæc organa, ministerium verbi & sacramenta fidem in nobis accendit II. Thess. II. 16. Coloss. I. 11. quod deniq; justitiam Christi in Evangelio nobis oblatam per fidem applicat Eph. I. 7. & sic justificatos amatosq; amore commiserationis, clementiæ, beneficentiæ amat amore amicitiæ & complacentiæ tanquam amicos, filios & hæredes vitæ æternæ Joh. XVI. 27. Jacob. II. 23. Eph. I. 6. Et hanc esse vim vocis gratiæ, ut denotet gratuitum DEI favorem, quando nempe de causa justificationis efficiente quæritur, manifestum est ex II. Tim. I. 9. 10. Ubi gratia nobis data esse dicitur ab æterno. Adde quod passim explicatur per misericordiam Tit. III. 5. Luc. I. 50. 54 78. nusquam autem per donum gratiæ inhærens. Neq; tantum à misericordia DEI est justificatio, verum etiam sic gratuita est, ut nullum ex

parte

parte hominis justificandi adsit meritum, nullum ex parte DEI debitum ne quidem illud, quod à promissione est cum conditione operis alicujus ab homine præstandi facta Rom. IV. 4. nulla ex hominis parte dispositio, adminiculum vel quæcunq; causa movens, adeoq; nulla causa in homine quæ ejus sit coram DEO justitia Rom III. 24. Eph. II. 8. 9. *Gratia salvati estis per fidem: & hoc non ex vobis* (vestro merito, actione, qualitate, dignitate) *DEI donum est*; NON EX OPERIBUS: *ne quis glorietur.*

§. 3. Tertium est Meritum Christi, quod est causa impulsiva, quæ movit DEUM, tum ut velit omnes justificare ira adversum eos deposita, tum ut actu ipso justificet credentes. Hoc Christi merito opus fuit propter veritatem & justitiam DEI Gen. II. 17. III. 3. seqq. Rom. III. 25. Absolvitur hoc meritum duabus velut partibus, obedientia activa & passiva. Illa necessaria fuit, ut per meritum obedientiæ activæ consequamur præmium vitæ æternæ. Legis enim immota sententia est: *Hoc fac & vives* Lev. XIIX. 5. Matt XIX. 17. Christus autem legis est finis & complementum Rom. X. 5. Matt. V 17. 18. Et hinc est, quod Paulus Rom. IIX. 3. 4. docet, peccatum per legem nos DEO reos egisse, DEUM autem nos in Christo absolvisse, ut δικαίωμα τῦ νόμυ, hoc est, id, quod lex requirit, quo justi coram DEO inveniamur, in nobis compleatur. Adde Gal. IV. 4. 5. Ex quo

loco patet, Christum pro nobis legem impleviſſe, & adoptionem atq; conſequenter vitam æternam nobis impetraſſe per obedientiam legi præſtitam. Dices, Christum ipſum fuiſſe ſubjectum legi, & pro ſe impleviſſe legem, non pro nobis. Reſpondeo, contrarium eſſe tum in loco citato, ubi dicitur, quod factus ſit legi obnoxius ſive quod ipſe ſe voluntarie legi ſubjecerit, tum Marc. II. 28. ubi Christus dicitur legis dominus. Nam nec Chriſtus mera eſt creatura, nec ad illam obſequii ſpeciem, de qua Paulus agit Phil. II. abſolute fuit aſtrictus. Quare Christus nobis natus, nobis datus eſt: obedientiâ ipſius nos juſti conſtituimur, ipſe nobis factus eſt juſtitia & ſanctitas Rom. V. 11. I. Cor. I. 30. Confer Rom. X. 3. ubi taxantur Judæi, quod propriam juſtitiam ſtudentes conſtituere juſtitiæ non fuere ſubjecti. Unde conſequitur, illam juſtitiam, qua juſti conſtituimur in conſpectu DEI, non eſſe propriam juſtitiam ſed alienam & Chriſti Phil. III. 8. 9. II. Cor. V. 21. Ebr. X. 7. 10. unde cur Jerem. XXIII. 6. Jehovah dicatur juſtitia noſtra, jam liquidum eſt. Dices: factum unius non poſſe fieri factum alterius, adeoq; juſtitiam juſti ſuper juſtum futuram Ezech. XIIX. 20. Reſpondeo, factum unius non poſſe fieri factum alterius ſubjective: interim meritum obedientiæ unius poſſe ad alterum pervenire eiq; prodeſſe exemplis quotidianis demonſtratur. Quanquam nec id negandum, etiam juſtitiam inhærentem.

tem ceu justificationis nostræ individuam comitem & pedissequam à nobis requiri. Sed ad passivam Christi obedientiam progredimur, qua opus fuit, ut nos impunitatem consequeremur. Quam rem scriptura inculcat, quoties Christum loco & vice nostra cruciatus mortis æternæ & temporariæ sustinuisse docet. Matt. XX. 28. Marc. X. 45. Christus dicitur venisse ut daret animam suam λύτρον ἀντὶ πολλῶν pretium redemptionis pro multis. Ubi τὸ ἀντὶ talem commutationem & succesionem, quia de personis est sermo, omnino requirit ut Matt. II. 22. Quæ vox si jungatur personæ ut personæ & verbo δοῦναι, flagitat, ut persona in Genitivo Græco indicata idem genere aut specie datura fuerit, quod alia dedit. Atq; hæc tanto fortius stringunt, si expendatur, Christum se ipsum dedisse pro omnibus ἀντίλυτρον I. Tim. II. 6. Quæ loquendi forma non potest aliud significare, quam Christum curasse, ut illud solveret, quod nos debebamus, ut cruciatus mortis sustineret, qui nobis propter peccatum sustinendi erant. Nam & æternæ mortis cruciatus sustinuit Christus, quoad esse, non vero quoad durationem. Addidit vero Filii DEI virtus passioni hominis pondus, valorem & æstimationem tantam, ut potuerit ἰσοδύναμον & æquivalens redemtionis nostræ pretium esse. I. Cor. V. 15. & passim ὑπὲρ πάντων Christus mortuus esse dicitur, sic nempe, ut τὸ ὑπὲρ

sit idem quod ἀντὶ & vera subrogatio innuatur. Hac enim mente Paulus: Si unus, inquit, mortuus est pro omnibus. Ergo omnes mortui sunt. Confer I. Cor. I. 13. II. Sam. XIIX. 33. Neq; aliud quid indicatur, cum Christus dicitur mortuus propter peccata nostra Rom. IV. 25. Quoties enim phrasis ista (propter peccatũ) jungitur perpessionibus, non potest alia causa judicari, quam impulsiva meritoria. Vid. Lev. XXVI. 18. 28. Deut. XIIX. 22. II. Reg. XXIII. 26. Jerem. XIII. 22. Sequitur ergo, Christo inflictam fuisse mortem tanquam pœnam propter peccata ceu causam impulsivam meritoriam non quidem propter peccata propria, sed nostra. Neq; est, quod dicas injustum esse, ut unus pro alio plectatur. Hoc enim fieri posse exemplum apud cultiores populos vadis & obsidis docet. Vadimonium autem Christi clarum est ex Ebr. VII. 22. Ubi habes Christum melioris fœderis ἔγγυον sive sponsorem, pro hominibus nempe apud DEUM Ebr. V. 1. X. 7. Adde Es. LIII. 4. seqq. XLIII. 24. 25. I Pet. II. 24. II. Cor. V. 21. Gal. III. 13. 14. Vide Exercit. Antisocin. §. 5. seqq. Concludimus, DEUM nos justificare propter Christi justitiam, quam ipse quoq; Christus non tantum nobis acquisivit, verum etiam applicat per verbum & sacramenta, quibus mediantibus Spiritus Sanctus fidem organon justitiam Christi apprehendens efficit, confirmat, auget. Simul id patet, Christum non esse justitiam nostram

secun-

secundum humanam naturam tantum, nec secundum divinam tantum, sed secundum utramq; Jer XXIII. 6. XXXIII. 16. Act. XX. 29. I. Joh. I. 7.

§. 4. Sicut Verbum & sacramenta sunt organa ex parte DEI offerentis justitiam & salutem, sic fides est organon ex parte hominis justitiam & salutem acceptans & apprehendens. Cæterum fidem hic accipimus Theologicè & propriè, non Ethicè, non μετωνυμικῶς pro objecto fidei Gal. I. 23. Act. VI. 7. aut pro fidei externa professione Jac. II. 26. Gal. VI. 10. Act. IIX. 13. Complectitur fides propriè dicta tres gradus, notitiam, assensum & fiduciam, quorum fidei graduum unus ab altero distinctus est, sicut distincta sunt, credere DEUM & Christum, credere DEO & Christo, credere in DEUM & Christum. Primum enim notitiam importat de DEO & Christo: secundum assensum, qui tribuitur Christo ut veraci: tertium prioribus addit affectum specialis in DEUM & Christum fiduciæ. Quæcunq; ergo fides hunc gradum tertium prioribus addit, ea est vera & justificans, habens pro objecto non totum DEI verbum, sed promissionem Evangelio propriam, sicut dicitur Gal. III. 10. Lex non est ex fide. Expende loca Rom. IV. 25. Act. X. 13. Rom. III. 24. 25. IV. 16. II. Cor. I. 20. Justificamur autem fide, non miraculosa, non hypocritica, non historica tantum, neq; ut fides est qualitas, aut motus, actio vel passio, aut opus aliquod bonum eximii pretii, quasi ipsa

ipsa fides per se sit justitia, aut ejus pars, aut etiam justitiæ loco ex censu & æstimatione DEI habeatur (sic enim opus legis est, legis autem opera universim à justificatione excluduntur) sed justificat ut modus, medium & instrumentum, ut manus, qua Christum ejusq; justitiam apprehendimus Phil. III. 9. Joh. I. 9. Retinenda ergo exclusiva particula sola, dicendumq; hominem sola fide justificari. Quod probatur locis illis Scripturæ, quæ justificari hominem sine operibus docent. Cum enim plures modi justificandi duobus hisce, operibus & fide excogitari nequeant, utiq; remoto uno, necessarium est, non tantum relinqui alterum, sed & solum relinqui. Vide Paulum Rom. III. & IV. ubi sic opponit credentem operanti, ut credens sit non operans, non quidem quasi non operetur, sed quod ea non operetur, per quæ justificari coram DEO possit. Adde Epist. ad Galatas, in qua disputatur adversum Christianos, qui à Pseudo Apostolis fascinati revocabant opera legis Mosaicæ, non ut à Christo discederent, sed ut fidei illa adjungerent. Excipiunt: Pseudo Apostolos urgisse solam legem & opera sine fide. At sic Pauli ratiocinationes planè enervantur, cum dicit, si per legem absq; fide est justitia, Christus frustrà mortuus est. Si ex lege absq; fide est hæreditas, non ex promissione est. Si in lege sola sinè fide justificamini, à Christo evacuati estis. Protinus enim quod excipere potuissent Pseudo Apostoli, in promtu fuis-

set.

set. Deinde idem probatur illis Scripturæ locis, quæ demonstrant hominem gratis justificari. Quæ excipiunt de meritis congrui & condigni, sequenti Exercitatione, DEO volente, discutientur. Deniq; huc pertinent infinita Scripturæ loca, quæ in negotio justificationis solam fidem inculcant, quorum locorum nonnulli, quod rei caput est, doctrinam justificationis ex professo & in propria sede tradunt, v. g. Rom. III. ubi Paulus misericordiam DEI constituit causam justificationis nostræ efficientem: sangvinem Christi causam meritoriam: instrumentalem, fidem ex DEI verbo conceptam: finalem gloriam justitiæ & bonitatis divinæ. Dices 1. fidem non esse solam 2. fidem esse initium justificationis. Resp. ad 1. aliud esse fidem esse solam, & aliud, fidem solam justificare, sicut aliud est, solus est oculus, aliud, solus oculus videt. Posterius verum est, prius falsum. Ad 2. Unum tantum est initium: ergo vel hinc concluditur, fidem solam justificare. Sed non tantum initium, verum etiam perseverantia & ut ita dicam, perfectio justificationis atq; salutis est à fide in Christum. Fide enim justus vivet, & fide stamus in gratia, fide conservamur ad salutem. Abrahamo fides non fuit initium justificationis & complementum sanctitas vitæ: eo enim tempore quo à DEO pro justo habitus dicitur, jam per plures annos sanctus extiterat. Deniq;, si initium justificationis tantum à fide esset, utiq; Paulus male in

Evange-

Evangelio justitiam DEI revelari ex fide in fidem dixisset, dicere debuisse, ex fide in opera: hæc enim secundum adversarios complent, quod inchoat fides.

§. 5. Forma justificationis est applicatio justitiæ Christi & satisfactionis ejus passivæ imputatio facta per fidem, dum nempe credentibus DEUS non imputat peccata quæ habent, sed ea tegit & delet propter Christi satisfactionem passivam. Act. X. 23. XIII. 28. 29. &c. & imputat justitiam quam non habent, activam scilicet Christi obedientiam Rom. V. 19. I. Cor. I. 30. Phil. III. 8. 9. Neq; enim coram DEO justi sumus justitia nostra inhærente, eo quod nulla sit coram DEO justitia ex operibus legis Rom. III. Dices, intelligi legem ceremonialem, & intelligenda esse opera facta ante fidem. Resp. intelligi à Paulo eam legem ex qua justificantur & damnantur homines Rom. II. 12 13. Sed ex lege ceremoniali nemo justificari potest Act. XIII 38. Ebr. IX. 9. intelligit Paulus legem quam gentes in cordibus suis inscriptam habent Rom. II. 14. per quam est agnitio peccati & cujus transgressione DEUM dedecorabant Judæi furtis adulteriis v. 21. seqq. III. quam stabilit Paulus Rom. III. ult. at ceremonialem abrogat Colos. II. 16. cujus transgressores sunt maledictionis rei Gal. III. 10. quæ tota isto verbo completur, diliges proximum tuum sicut teipsum Rom. XIII. 14. quæq; dicit, non concupisces Rom. VII. 7. Quod

attinet

attinet opera ante fidem facta, reclamat exemplum Abrahami, qui in medio cursu bonorum operum tamen dicitur justificatus esse fide Rom. IV. Et si intelligit Paulus opera ante fidem, supponit aliquem sine fide sive ante fidem legem implere posse, quod absurdum. Pauli argumentatio generalis est: Nullus legis transgressor justificatur operibus legis: At omnes homines tam judæi quam gentiles sunt legis transgressores, E. nullus homo ex operibus legis justificatur. Imo omnes homines etiam post fidem & justificationem transgrediuntur legem E. nemo justificatur operibus legis sive ante fidem sive post fidem factis. Cæterum imputata justitia probatur ex ipsa natura justificationis, cujus vocis ea vis est, ut justificari sit idem ac absolvi à pœna & justum pronunciari. Vix ullus locus scripturæ produci potest, in quo justificare idem sit ac justitiam infundere, justum inhærenter facere. Adde si justificare esset justitiam infundere, male concluderet Paulus: neminem justificari operibus, quia omnes peccaverunt. Dicere enim debuisset: *quia omnes peccaverunt, ideo omnibus infundenda justitia est.* Sed phrasin esse forensem supra dictum. Hic addimus Paulum docere justificari impium, quod intelligi nequit, nisi de justitia imputata. Quam aperte inculcat voce imputandi, λογίζεσθαι εἰς δικαιοσύνην &c. quæ toties occurrit apud Paulum Rom. IV. cujus natura declaratur, cum additur imputari fi-

dem

dem ad justitiam non operanti, sive sine operibus. Ei qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua pro justitia; non utiq; opus fidei, sed ejus objectum justitia Christi nostra censetur per fidem: hæc enim vis τῦ λογίζεσθαι πίστιν εἰς δικαιοσύνην. Neq; enim τὸ imputativum idem est ac putativum, sed est attributum externum rei verè adesse ntis, ut, cum dicitur in Theologia Adæ reatus imputari posteris, in jure, debitum principalis debitoris imputari fidejussori. Intelligitur ergo talis imputatio cui veritas subest. Quod ut melius intelligatur, notandum, inputationem vel esse conjunctam cum rei imputatæ inherentia ut Job. XLII. 8. vel non esse ut Phil. 18. Cum dicimus Christo imputata esse peccata nostra & nobis imputari obedientiam passivam & activam Christi, posteriori modo accipitur imputatio. Neq; enim Christo inhærebant peccata nostra, verè tamen ei sunt imputata; & nobis quidem verè imputatur Christi obedientia, neq; tamen dicendum eam nobis inhærere, aut inhærente justitia nos justificari. Quod amplius patet consideranti justificationem esse remissionem peccatorum Rom. IV. 6. Unde consequitur eam esse imputativam. Nisi enim imputatio est in remissione peccatorum nulla erit probatio Pauli illam concludentis ex ista. Sed notabilia sunt verba Psalmi, quem allegat Paulus: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, quorum obtecta sunt peccata, quibus non imputat Dominus

nus peccatum. Ex quibus patet, DEUM homini remittere peccatum non imputando, quam vim remissionis Christus declarat similitudine debitorum inter homines contractorum, quæ non remittuntur aliquid operando in debitore, sed non imputando æs nostrum; item remissione paternarum offensarum, quæ non consistit in ablatione peccati ab eo, qui peccavit, sed in non imputatione. Qua ratione etiam teguntur peccata, non ut non sint (quomodo enim possent tegi, si non essent?) neq; quod non videantur quoad culpam (quomodo enim alias remitterentur?) sed quod non videantur quoad pœnam, hæc enim tollitur, & hoc sensu ipsa quoq; peccata tolli dicuntur, non ut non sint (factum enim infectum fieri nequit) sed ut non imputentur, ut non puniantur. Præterea nihil illustrius est loco II. Cor. V. ult. ubi Christum habes factum victimam pro peccatis nostris, quod necessario importat peccatorum nostrorum imputationem, ut nos justitia DEI fieremus in ipso. Quali ergo modo Christus factus est peccatum, tali nos simus justitia in ipso. Dices cum Bellarmino lib. II. de Justit. cap. X. §. 4. Christum recte dici nostram justitiam, non quod justi simus ea justitia, quæ est in Christo nobis imputata, sed 1. quia Christus causa est efficiens nostræ justitiæ. 2. quia satisfecit pro nobis & eam satisfactionem ita nobis donat, cum nos justificat, ut nostra dici possit. Nam etsi per justitiam nobis inhærentem verè

justi nominemur & simus: tamen non per eam satisfacimus DEO pro culpis nostris & pœna æterna, sed est illa justitia inhærens cum remissione culpæ & pœnæ æternæ, effectus satisfactionis Christi, quæ nobis justificatione applicatur. Et sic non esse absurdum, si quis diceret, nobis imputari Christi justitiam & merita, cum nobis applicentur, ac si ipsi DEO satisfecissemus, modo non negetur, in nobis esse præterea justitiam inhærentem, eamq; veram & absolutam justitiam, cui justo DEI judicio debeatur gloria. Resp. in his pleraq; orthodoxa esse. Verum est, Christum esse justificationis nostræ causam efficientem & meritoriam. Verum est, justitia inhærente hominem posse dici etiam coram DEO justum. Verum est, per justitiam inhærentem hominem non posse satisfacere DEO pro culpis & pœna æterna. Sed falsissimum est, coram justo, hoc est, rigoroso & censorio DEI judicio inhærenti nostræ justitiæ deberi gloriam. Hoc enim DEI judicium omnes cum Davide deprecari necessum habemus. Atq; hocipsum pro justitia imputata contra justitiam inhærentem telum efficacissimum est. Sumus enim peccatores, quantisper vivimus, peccatores, inquam, in quibus habitat peccatū, non autem, in quibus regnat. Quorum alterum efficit, ut justitia nostra inhærens judicio DEI rigido & justæ legis sententiæ opponi, adeoq; nos justificare nequeat; alterum calumnias diluit adversariorum, clamantium fide

les Lutheranos similes esse sepulchris dealbatis, virginibus fatuis, hœdis fœtentibus, qui ovibus mixti sunt, lupis deniq; rapacibus venientibus in vestitu ovium.

ANTITHESIS.

Continens rejectionem.

§. 1. Eorum, qui justificationem non accipiunt sensu forensi pro actione DEI judicis versantis circa absolutionem rei, sed sensu in scripturis vel rarissimo vel inaudito secundum compositionem Latinam Grammaticam, ut justificare, idem sit ac habitualiter justum facere, sive justitiæ inhærentis qualitatem infundere, quam justitiæ infusionem sequi absolutionem rei contendunt. Quales sunt Pontificii, à quibus in materia de justificatione parum absunt Sociniani, nisi quod hi applicationem obedientiæ Christi passivæ negant, quam admittunt Pontificii, oppugnantes applicationem obedientiæ Christi activæ, & pro ea substituentes justitiam habitualiter inhærentem, per quam dicunt hominem coram DEO justificari. Arminiani, ut solent, Socinianis dextram porrigunt, quos dicunt in summa rei cum orthodoxis conspirare in capite de justificatione & fide, Apolog. pag. 107. Urgent Pontificii loca I. Cor. VI. 11. Tit. III. 5. Ebr. XI. 4. seq. Phil. III. 9. Eph. II. 10. Joh. VIII. 14. IIX. 36, ipsamq; adeo vocem justificationis ejusq; naturam. Resp. in genere justificationem non esse sine sanctificatione, neq; tamen hanc

cum illa confundendam. *In* specie *I. Cor. VI. 11.* distinguitur justificatio à sanctificatione. *In* loco *Tit. III.* expresse Paulus justitiam inhærentem, sive opera removet à gratia justificationis, regenerationis, hæreditatis. *In* cap. XI. *Ebr.* non statuminat justificationem hominis per justitiam inhærentem, nec commendat Abelem, Noachum, Abrahamum, aliosq; viros sanctos à justitia simpliciter, sed à justitia fidei: ejus, inquit, quæ ex fide est, justitiæ factus est hæres. Quam *conjunctam* esse cum justitia inhærente non negamus. Habent quippe justificati opera justitiæ quanquam non habeant justitiam operum coram DEI rigido & censorio judicio. *In* Epist *Phil. III.* negat Paulus se justitiam ex lege habere, optat vero, ut inveniatur habens justitiam ex fide etiam tunc, cum præmium fidei nempe vita æterna distribuenda, quam negat Paulus se comprehendisse, sed *con*tento cursu ferri se ait, ut comprehendat. *Eph. II.* expresse Paulus à negotio justificationis removet opera. Quod autem dicit DEI nos facturam esse creatos in Christo non arguit *justificationem* per justitiam inhærentem. Distincta quippe regeneratio est à renovatione *Tit. III. 5.* Illa justificatio est, & fide, per quam Filii DEI simus, absolvitur: hæc constat justitia inhærente. Joh. IV. loquitur Johannes de gratia Spiritus Sancti Joh. VII. 39. Est ergo alienus à præsenti instituto. *In* Joh. VIII. libertas prædicatur à damnatione peccati,

quæ

quæ ipsa est justificatio Rom. IIX. 1. quam sequitur libertas ab imperio peccati. Loca scripturæ, quæ Pontificii pro stabilienda justificatione per inhærentiam ab ipsa voce justificationis petita solent proferre potiora sunt Esa. LIII. 11. Apoc. XX. 11. Dan. XII. 3. Compositionem Grammaticam Latinam quod attinet, in ea fundamentum nullum, nisi quis verbis lucrifacere, magnificare similibusq; mutationem in subjecto sive acquisitionem qualitatis inhærentis subjecto significari demonstraverit. Locus Esaiæ militat pro justificationis usu forensi, quod indicat id quod sequitur, nam iniquitates eorum portabit, quod nisi de imputatione intelligi nequit. Quia ergo Christus nostra peccata portavit ut vas & sponsor, & hoc ipso ut nos justificemur apud judicem Patrem, efficit advocatus & intercessor noster, necesse est, justificationem dici ex usu forensi. In loco Apoc. XX. 11. potest commodè intelligi justificationis continuatio & perseverantia, ut τὸ ἔτι sit quid πρόσθεσιν porro vel amplius ut accipitur hoc ipso capite vers. 3. Adde cap. XIII. 12. X. 6. Confer. Dan. XII. 10. Quin etsi alicubi τὸ justificare idem esset ac justum facere, prævalet tamen & usitatissimus est vocis usus forensis, ut initio hujus Exercitationis demonstratum. Distinguunt Pontificii justificationem in primam & secundam. Prima justificatione dicunt justificari eos, quibus infunditur gratia, hoc est, habitualis justitia sive charitas. Secunda

vero justificatione justificari dicunt eos, qui ex habitu charitatis præstant opera justitiæ, & per justitiam actualem augent atq; perficiunt habitualem. Eorum, qui solo habitu fidei, charitatis, spei &c. absq; operibus actualibus, duas constituunt classes: unam infantum, alteram adultorum, recens conversorum & statim vel non multo post morientium. At eandem esse justificationem infantum & adultorum quorumcunq;, patet ex assertione Christi Luc. XIIX. 17. Ubi proponit infantes βρέφη & ad eorum exemplum adultos credere debere atq; justificari docet. Confer τὸ ἐναγκαλίσασθαι quod est apud Marcum IX. 36. & τὸ προσέφερον, quod apud Lucam pariter & Marcum est, & portatos fuisse nec pedibus suis ivisse indicat. Credere autem infantes fide actuali Christus dicit, cui credendum, quicquid obstrepat ratio: posse autem credere fide actuali vel unicum Johannis Baptismi exemplum demonstrat. De disputationibus quod addunt Pontificii docentes, adultos non superviventes, absq; operibus salvari per infusam justitiam, ita ut ad eam præcedant ex præveniente gratia dispositiones, fidem, servilem timorem pœnæ, spem, dilectionem, pœnitentiam, propositum ac desiderium suscipiendi Sacramenta, propositum novæ vitæ, & observationes mandatorum DEI, hoc, inquam totum nihil est. Neq; enim scriptura nobis describit justificationem tanquam motum, qui successivè introducat justitiam, & di-

& dispositiones istæ pleræq; sequuntur fidem & justificationem, excepto timore servili & pœnitentia sive attritione, quæ quidem antecedunt justificationem, neq; tamen inducunt justificationis formam vel ad eam disponunt, ut exemplis Judæ aliorumq; clarum est. Exemplum Abrahami, qui non habitu fidei infuso, qui nullus est, sed actu fidei (credidit Abraham) justificatus est, quod urget Paulus Rom. IV. Patris omnium credentium, ad cujus exemplum omnes debent justificari, fortiter profligat heterodoxiam Pontificiorum. Vid. vers. 3. seqq. 12. 16. & 23. Ubi docet Paulus, Abrahamum esse Patrem credentium non tantum quoad genera singulorum, sed & quoad singula generum. Neq; latro in cruce aliter salvatus est, quam fide in Christum Dominum & Regem, quæ sine operibus non fuit, qualia sunt, confessio, correptio, patientia, invocatio. Opponunt adversarii Jacobi cap. II. Rom. II. 13. I. Joh. III. 7. Resp. ad locum Jacobi, justificationem eandem considerari posse dupliciter, ut coram DEO fit, vel continuatur, & ut coram DEO facta esse declaratur hominibus. Priori modo eam explicat Paulus Rom. IV. quod patet ex vers. 2. Altero modo eam explicat Jacobus, ut patet ex vers. 18. ex quo manifestum est, Jacobum Apostolum in persona veri Christiani ab hypocrita, quem examinat, postulare fidem salvificam sibi ostendi & cognoscendam præberi non per nō dicere, sive externam fidei professionem,

sed & per τὸ facere sive exercitium ejusdem practicum & illustre signum, quale fuit Abrahami Isaacum offerentis. Unde sequitur, Jacobum agere de justificatione, non qua homo coram DEO justificatur, sed qua justificatus esse agnoscitur ex certis signis. Confer Gen. XXII. 16. Neq; enim oblatio Isaaci, potuit esse causa justificationis, aut eam auctiorem reddere, quippe quæ ipsa fidei imputatione ad justitiam Abrahæ completam longe fuit posterior, ut ex Mose Paulus Rom. IV. demonstrat. Quod attinet συνέργειαν & ἀποτέλεσμα apud Jacobum, recte habent, hoc Jacobi scopo semper considerato, quæ est non justificatio, sed justificationis ostensio, ad quam omnino concurrunt externa fidei professio & bona opera, quæ cum illa consummatum & perfectum signum fidei efficiunt, cujus imperfectum signum est sola fidei professio externa, sic ut negativè (non affirmativè) secundum Jacobum recte colligere liceat: Quisquis fidei professione externa & bonis operibus non ostendit fidem suam esse salvificã, ille non est verè apud DEUM justificatus. Atqui immisericors, prosopolepta &c. tales sunt. E. In loco Rom. II. 13. apertus est scopus Pauli ex vers. 19. 20. cap. III. qui est Judæos argumento negativo constringere, hoc nempe: Factores legis justificabuntur apud DEUM per Legem. Sed nemo est factor totius legis eo nempe modo, quo est facienda. E. nemo per legem justificatur apud DEUM.

In

In loco Johannis agitur de justitia actuali, quæ est effectus justitiæ fidei, & formaliter hominem justum facit, qui bonis operibus studet, quibus etiam inhærens justitia augetur & magis perficitur. Sed nunc quæritur de justificatione coram judice DEO. Non autem sequitur. Renati sunt justi etiam inhærente justitia. Ergo renati propter eam justificantur coram DEO.

§. 2. Eorum, quæ gratiam justificantem dicunt esse actionem DEI, qua infundit habitum charitatis, spei fidei, &c. Quales Pontificii, qui ad solam secundam *justificationem* requirunt gratiam DEI adjuvantem & excitantem, non ad omnem: *potest* enim *homo nondum reconciliatus per opera pœnitentiæ impetrare & mereri ex congruo gratiam justificationis*, adeoq; *habet homo ante omnem gratiam liberum arbitrium non solum ad opera naturalia & moralia, sed etiam ad opera pietatis & supernaturalia*, secundum Bellarm. lib. 1. de justif. cap. 22. lib. 3. de grat. cap. 10. lib. 6. cap. 15. Sed de libero arbitrio dictum Exercit. præced. De merito dicetur, D. V. Exerc. sequenti. Adversariis nunc opponimus dicta supra ad thesin §. 2. Objiciunt Rom. III. 24. V. 5. 15. 19. Eph. IV. 7. Adde gratiam comparari essentiæ, quæ datur per creationem, item luci Eph. II. 16. V. 8, Resp. quod gratia DEI sit Rom. III. 24. gratuitus DEI favor & clementia miserentis indignorum, eisq; parcentis, liquidum est ex dictis suprà. Rom. V. 5. charitas DEI vel

activè vel passivè accipitur. Si prius, nihil pro adversariis. Si posterius, negamus, hanc esse gratiam justificationis, dicimus, charitatem qua DEUM amamus, esse effectum justificationis. Capienda autem esse verba Pauli activè, ut innuatur efficacitas DEI agentis pro sua charitate potenter in corda nostra, ipse Paulus demonstrat, cum dicit, commendare DEUM suam charitatem ERGA Nos, vers. 8. Ad Rom. V. 15. falsum est non dari vel fieri favorem gratuitum. Nam II. Tim. I. 9. gratia DEI nobis dicitur esse data ab æterno, ubi nullum donum inhærens intelligi potest, quippe quod ab æterno non fuit. Sic charitas DEI activa dicitur dari I. Joh. III & fieri Luc. I. 72. Ipsa ergo justitia imputata Paulo vocatur δωρεὰ τῆς χάριτος, item δώρημα τῆς δικαιοσύνης cui tribuitur περισσεία opposita multis, id est, omnibus delictis, qualiter abundans justitia non est justitia habitualis sive infusa. In loco Rom. V. 19. negatur justum constitui idem esse ac inhærenter justum fieri. est potius dicendum, esse phrasin forensem, desumtam à reis, qui absolvuntur & justi pronunciantur, quod demonstrant tum voces κρίμα, δικαίωμα, κατάκριμα, δικαίωσις, tum contextus; in quo justitia, qua justi constituimur coram DEO, opponitur offensæ & peccato quatenus imputatur vers. 13. & meretur pœnam mortis vers. 17. Quæ omnia ad processum spectant forensem. In loco Eph. IV. 7. non agitur de gra-

tia justificationis, sed de variis donis, quibus Ecclesiam DEUS pro sua erga nos benevolentia exornat, ut contextum inspicienti notum. Deniq; esse novam creaturam, vel ad regenerationem sive justificationem spectat, vel ad renovationem. Priori modo nihil in nobis inhærens est, sed posteriori tantùm. At de sanctitate & renovatione non quæritur: palam est, eam esse inhærentem. Neq; τὸ esse in luce, aliquid inhærens significat, sed extrinsecum quid, ut corpora opaca demonstrant. Nihil ergo inde concludi potest. Sed &, quamvis aliquid intrinsecum significaret, de sanctificatione accipiendum esse ipse contextus & explicationis Pauli series evincit. Alienum ergo est à quæstione nostra.

§. 3. Pontificiorum, qui meritum Christi non censent esse proximam causam justificationis nostræ, sed remotam, qua DEUS movetur, ut nobis infundat justitiam propriam inhærentem, adeoq; satisfactionis Christi passivæ imputationem concedunt, sed activam satisfactionem una cum ejus imputatione negant. Socinianorum & Anabaptistarum, quæ utramq; satisfactionem tam passivam quam activam evertere conantur, quorum argumentis obviam itum est Exerc. Antisocin. IV. & V. Calvini & Calvinianorum, qui meritum ex compacto Christi meritum esse dicunt, negant autem esse meritum absolutè. Calvini in Instit. lib. 2. cap. 18. §. 1. hæc verba sunt; Si quis simpliciter &

per

per se Christum opponere vellet judicio DEI, non fore merito locum. Quæ verba probare non possumus. Nec ratio, quæ subjungitur, proba est; quia non reperiretur in homine dignitas, quæ possit DEUM promereri. Neq; enim Christus ut homo meruit, sed ut DEUS & homo. Neq; probamus Scholasticos, quos allegat Vasq. Disp. V. in 3. Thom. cap. 2. docentium Christi apud DEUM meritum & satisfactionem non esse simpliciter condignam, sed ex acceptatione DEI, qui sponte sua ex satisfactione voluit esse contentus. Quin ipse Vazquez disputat, jure potuisse DEUM satisfactionem Christi non acceptare. Quæ omnia, quia ex Scripturis non habent authoritatem, eadem facilitate rejiciuntur, qua asseruntur. Fatemur quidem, DEI acceptationem divinæ gratiæ esse, sed negamus à DEI acceptatione præcisè habere dignitatem & pondus suum Christi meritum, cujus valor est à dignitate personæ satisfacientis. Etsi peccatum Adæ condigne & ex sua natura meruit posteris damnationem, utiq; etiam Christi meritum absolutè & condignè merebitur nobis redemtionem. Vide Rom. V. 15. seqq. Ex dictis constat, Christum & ut DEUM & ut hominem satisfeciisse pro nobis. Rejicimus ergo, tum Stancarum, qui Christum esse dicebat justitiam nostram secundum humanam naturam tantum, cui assentiuntur Vasques, Bellarminus aliiq;, qui, quanquam Lombardum dicentem, Christum

non

non esse mediatorem secundum divinitatem verbis rejiciant, functiones tamen Mediatoris nullas divinas fuisse, sed duntaxat humanas à principio proximo humanitate ortas statuunt: tum Osiandrum, qui justitiam Christi explicabat de justitia DEI essentiali. Illi absurdi & falsi, quia meritū Christi est infiniti valoris, debuit ergo provenire etiam à DEO tanquam principio proximo: &, si secundum naturam humanam tantum esset mediator, non fuit opus incarnatione: deniq;, ipsa mediationis ratio requirit, ut concurrat divina natura & humana. Absurdus & falsus Osiander: justitia enim DEI essentialis est incommunicabilis creaturis & sensu Osiandri est ignis consumens & vox Legis. At ex lege nulla justificatio Rom. III.

§. 4. Pontificiorum, quorum varii sunt errores circa subjectum, objectum & efficientiam fidei. Quod attinet subjectum, dicunt fidem esse in solo intellectu & melius per ignorantiam quam per scientiam definiri secundum Bellarm. lib. 1. de Justif. cap. 7. ubi fidem non tam esse notitiam quàm assensum tradit. Et hinc est, quod fidem distinguant in explicitam, quæ est actualis assensus cujuslibet veritatis Catholicæ, & implicitam, quæ est habitus credendi, sed sine actuali assensu, separata à notitia. Sed fidem esse notitiam patet ex innumeris Scripturæ locis, Joh. XVII. 3. Ebr. XI, 3. Joh. VI. 69. 1. Tim. IV. 3. Adde quod fidei opponatur ignorantia Act. XVII, 23. 30. Eph. IV. 18. Luc.

Luc. XXIV. 25. Quid autem absurdius, quàm credere, quod ignores atrum sit an album? Vidit id ipse Bellarm. qui cap. 6. dicit fidei proprium esse plenissimè scire, & si fides est assensus, non poterit non esse notitia: non enim assentimur nisi ei, quod scimus. Porro fidem quoq; in voluntate esse, probatur Eph. III. 12. Ebr. III. 6. Joh. XVI. 33. Rom. V. 11. 17. Gal. III. 14 Coloss. II. 6. Atq; hoc proprie est credere in DEUM, quæ vera est fides Christiana fiduciam includens, quæ sine charitate & bonis operibus esse non potest I. Joh. II. 4. seqq. Tit. I. 16. Contra sentiunt Papistæ docentes, fidem esse absq; operibus posse, item, fidem informari à Charitate, sicut corpus ab anima, fidem autem separatam à bonis operibus veram quidem esse fidem, sed informem. Sed negamus fidem à bonis operibus secretam veram & justificantem fidem esse. Concedimus esse fidem æquivocè, sicut homo mortuus & cadaver æquivocè homo & corpus sunt. Vera quippe fides est operosa per charitatem Gal. V. 6. ubi τὸ per non significat causam formalem, per quam res est id quod est, sed velut instrumentum, per quod causa principalis operatur. Active enim τὸ ἐνεργεμένη esse accipiendum ex aliis locis similibus constat. Vide Eph. III. 20. I. Thess. II. 13. Coloss. I. 29. Rom. VII. 5. II. Cor. IV. 12. II. Thess. II. 6. Jac. V. 6. II. Cor. I. 6. Quin etsi passiva conjugatio hic esset dicatur, ea tamen similis erit II. Cor. XII. 9. ubi Apostolus, virtutem

DEI

DEI in infirmitate perfici, h.e. efficacem se declarare dicit. Passivæ enim conjugationes apud Ebræos, Syros, Chaldæos sæpè meras actiones designant. Quod attinet fidei objectum, Pontificii statuunt, id esse omne quod DEUS revelavit, etiam ipsam legem, unde non puduit Jesuitas in Colloquio Ratisbonensi in hæc verba prorumpere: articulum fidei esse, quod canis Tobiæ caudam moverit. Sed hic notandum, fidem à nobis spectari ut actum justificationis ingreditur: nam ut assensus est, pro objecto habet omne DEI verbum, legem & Evangelium. Sed de fide justificante, quâ tali, quæritur, cujus objectum est specialis DEI misericordia promissa in mediatore Christo. Id quod probatur tum illis locis, quæ fidem dicunt respicere Christum propter peccata nostra passum & sanguinem ejus in remissionem peccatorum effusum Rom. III. 24. 25. IV. 16. 25. &c. tum illis, quæ docent, non esse ex lege justificationem, unde consequitur, legem non esse fidei justificantis objectum. Hic error Papistarum alium peperit, illum nempe de necessitate perpetuæ dubitationis renatorum. Nostra assertio est: fidem præsentem, qua justificamur, categorica vel absoluta infallibilitate à nobis cognosci posse talem esse, qualem oportet esse, & justificationem atq; gratiam DEI præsentem absolutâ infallibilitate nobis certam esse posse. Licet enim sub majoribus universaliter Joh. III. 16. 36. Act. X. 43. XIII. 38. divine & infallibiliter con-

concludere, nec minor tantum certa est certitudine humana, verum etiam divina Act. IIX. 37. II. Cor. XIII. 5. I. Cor. II, 12. Rom. IIX. 16. Vide II. Cor. I. 20. seqq. ubi Apostolus certitudinem & ex parte subjecti credentis & ex parte objecti credendi docet. Qui enim vera fiducia adstipulatur promissionibus divinis, nec non confirmatur & obsignatur, ac pro pignore vitæ æternæ accipit Spiritum Sanctum, atq; de bonorum promissorum præsentia certitudinem suam contestatur ex corde subjecta voce Amen, ille infallibiliter certus est de justificatione sua. At de justificatis verum est prius. Ergo & posterius. Et huic fini inserviunt Sacramenta, quæ sunt σφραγῖδες τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως Rom. IV. 11. I. Petr. III. 21. Joh. VI. 56. Confer I. Joh. V. 6. seqq. ubi habes infallibilitatem testificationis per verbum & sacramenta, quo de accepta justificatione certus reddi potest fidelis certitudine objecti pariter & subjecti, I. Joh. V. 10. Papistæ non admittunt nisi humanam certitudinem tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis. Ex parte intellectus ponunt opinionem, quæ excludat scientiam infallibilem. At hoc est contra scripturas docentes fieri debere explorationem conscientiæ ad verbum DEI, an aliquis sit in fide, serio doleat & oderit peccata, habeat charitatem, & gratiam Spiritus Sancti non impediat, quæ omnia divinam gignunt infallibilitatem. Adde I. Joh. V. 19. 20.

ubi

ubi fidelium διάνοια sive cognitio divina expressa est. II. Tim. I. 12. ubi Paulus suam de depositi certissimi infallibili asservatione persvasionem, eamq; non probabilem & conjecturalem, sed immotam docet. I. Cor. II. 12. I. Joh. V. 13. III. 14. ubi talis describitur scientia, quæ est ex necessariis signis & infallibili testimonio Spiritus Sancti, quod datur non tantum Ecclesiæ in genere, sed vel maximè singulis in Ecclesia, & propter hoc Ecclesiæ toti. Ex parte voluntatis ponunt certitudinem spei sivè fiduciæ, quam dicunt esse, cum qui certitudine conjecturali præsupposita sibi applicat per fiduciam, quod in universali tenebat per fidem, propterea quod in se probabiliter conspicit ea media, quibus promissa est vita æterna. Et hanc certitudinem esse maximam posse docet Bellarminus lib. 3. de justif. cap. 11. Sed quomodo fiducia potest esse certa, ne dicam certissima & firmissima, ubi fundamentum notitiæ, cui innititur fiducia, certa est certitudine conjecturali, obscura, fallaci? Nuda enim adhæsio voluntatis ad rem, de qua fiducia potest haberi, sine prævia mentis certitudine, est præsumtio de bono aliquo perversa & temeraria, quæ tanto est perniciosior, quanto est firmior Deut. IX. 4. Jerem. VII. 4. seqq. Deniq; errant Papistæ, dum negant sola fide hominem justificari. Errant item illi, qui in particula SOLA animium sunt Papistis indulgentes. Videantur

supra

supra dicta. Errant quoq; Sociniani & his in religione consanguinei Arminiani, quorum illi fidem dicunt in obedientia præceptorum Christi consistere, hi obedientiam fidei, quatenus fides est actus noster, in negotio justificationis recte considerari dicunt, negantq; fidem proprie esse instrumentum justificationis. Apolog. pag. m. 113. Summa, Fidem habent, ut opus legale vel obedientiam præceptis Christi Evangelicis, seu novæ legi præstandam. Vide Exercit. Antisoc. V. §. 7. seqq.

§. 5. Pontificiorum, Socinianorum, Arminianorum (de his vide Apolog. pag. 12.) Osiandristarum, aliorumq;, qui aliam justificationis formam ponunt, quam imputationem obedientiæ activæ & passivæ Christi factam per fidem. Adversarii talem justitiam solent vocare putativam, fictitiam, larvatam. Sed nec justitia Christi est fictitia, nec imputatio est fictitia. Non illa: quia revera justitia Christi est meritoria & satisfactoria, ut ostensum. Neq; hæc, ut pariter ostensum. Gal. IV. 5. I. Cor. I. 30. II. Cor. V. ult. Phil. III. 9. Rom. III. &c. Dices, opponi Adamum & Christum Rom. V. 18. 19. & sicut illius peccatum inhærente nos forinhærens est & formaliter facit injustos, sic justitia maliter constituit coràm judice DEO justos. Resp. omnibus Adami posteris peccatum primum imputari non secus ac si ipsi id patrassent. Ergo etiam

per

per imputationem credentibus communicatur justitia Christi non secus ac si ipsi eam præstitissent. Atq; hoc est, quod dicit Scriptura: nos in Adamo peccasse & fieri justitiam in Christo. Dices: Christum restituisse, quod perdidimus, at nō perdidimus in Adamo justitiam imputativam. Ergo. Resp. non tantum restituit bona, sed & profligavit mala. Necessaria ergo fuit obedientia passiva. Nec restitutio intelligenda de identitate bonorum amissorum specifica, sed de restitutione partim eminentiori, partim in hac quidem vita quoad inchoationem, in altera, quoad complementum. Sic justitiam nobis restituit, per quam obtinere vitam æternam possimus, obedientiam nempe activam, cujus pedissequa est justitia inhærens hic imperfecta, olim indefectibiliter perficienda. Atq; sic nihil est, quod non restituerit idq; compensatione feliciori Christus, ut merito exclamare habeamus: O felix culpa! Vid. CL. Höpfneri Disputationes de Justificatione.

SOrs tibi pulchra cadit, cum *justificatio nostri*,
Materia è Cathedra discutienda venit. Io

In ſtudiis juſtè verſatus es atq; decenter;
Hinc & juſtificat Te ſacer ordo Deo.
Juſtitia heu miſeros nos propria deſe-
rit omnes:
Mutuat hinc Jeſus cœlitus ergo
ſuam.
Propria juſtificat ſed te, DERSCHOVE,
ſophia
In cathedra. Non hic namq; aliena
valet.

Scrib. Amoris mnemoſynon

Joh. Georg. Dorſcheus.
Argentor. D.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730401073/phys_0148
DFG

IN FORMULAM CONCORDIÆ EXERCITATIO QUINTA DE NECESSITATE BONORUM OPERUM AD SALUTEM.

Quam

AUXILIANTE SUMMO NUMINE

Cum Consensu VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOG.

Sub Præsidio

Viri Admodum Reverendi, Excellentissimi atq; Amplissimi,

DN. CASPARI MAURITII,

SS. Th. D. Celeberrimi P. P. & Past. ad D. Mariæ nec non Eccles. Rost. Superint. meritissimi.

Placido eruditorum examini

Ad Diem

Subjiciet

WILHELMUS DETHARDING,

Stet. Pom.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII,

Acad. Typogr. Anno 1654.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730401073/phys_0149

DFG

DEO DUCE!

ARTICULUS IV.

DE NECESSITATE BONORUM OPERUM AD SALUTEM.

Αφορμὴ exhibens statum controversiæ.

OCcasionem huic certamini dedit libellus INTERIM, in quo asseritur, bona opera esse necessaria ad salutem. Quam propositionem posteà non tantum usurparunt, verum etiam defendendam sumserunt quidam Augustanæ Confessionis Theologi. Vide Acta Synodica Witteberg. Anno 1559. edita, in quibus docetur, neminem sine dilectione & operibus salvari. Adde acta Colloquii Altenburgensis, itemq; scripta D. Georgii Majoris & aliorum. Sed & ex hac quæstione de necessitate bonorum operum alia nata quæstio est, Antinomis contendentibus, bona opera esse quiddam indifferens nec necessarium. Vide Exercit. sequentem. Quæritur ergo, *an bona opera sint dicenda necessaria ad salutem.*

THESIS.

QUanquam bona & DEO placentia opera necessario facienda, nec dicenda sint esse perniciosa ad salutem, tamen non habent

respectu meriti sive ad ipsam vitam æternam sive ad vitæ æternæ dotes & præmia gloriæ accidentaria; nec sunt ulla ratione causa moralis aut medium morale ad vitam æternam sive obtinendam sive conservandam, & propterea non sunt dicenda bona opera necessaria ad salutem.

§. 1. Ut hæc thesis sibi constet, notandum primo, bona opera ea esse & à nobis intelligi, quæ placent DEO. Non autem alia opera placent DEO, quam quæ sunt sive in genere sive in specie fundata in verbo DEI. Matt. XV. 9. Deut. XII. 8. Hoc enim generaliter consideratum quatuor modis concurrit ad bona opera, 1. ostendendo, quænam sint bona opera, 2. aperiendo modum, quo fieri debeant, 3. excitando ad ea 4. conferendo gratiam Spiritus Sancti & potentiam benè operandi. Unde perspicuum est, formam bonorum operum abstracte loquendo esse conformitatem cum Verbo DEI, quæ tamen nulla esse potest sine fide. Impossibile enim est sine fide DEO placere Ebr. XI. 6. Et hæc causa est, cur fides quodammodo forma sit bonorum operum, quatenus nempe considerantur concrete, prout à renatis proficiscuntur: fides enim tegit imperfectionem bonis operibus alioquin adhærentem. Irregenitorum opera quanquam sint bona in suo genere, tamen coram DEO non sunt bona, differuntq; ab ope-

operibus renatorum 1. Efficiente, quæ in regenitis est Spiritus Sanctus, Fides, Verbum, nova genitura. II. Impulsiva, quæ in regenitis est timor DEI, ejusq; dilectio. III. Subjecto, quod aliud est irregenitum, aliud regenitum IV. Objecto, quod in regenitis non tantum externæ sunt actiones, verum etiam internæ represſiones concupiscentiarum. V. Forma, quæ fides est secundum dicta. VI. Causa finali, quæ ex parte renatorum est gloria DEI, & deniq; VII. consequentibus præmiis, quæ in regenitis sunt gradus gloriæ æternæ.

§. 2. Deinde notandum, bona opera propter multas causas dicenda esse necessaria. *Propositiones hæ* (verba sunt formulæ concordiæ pag. 702.) *bona opera esse necessaria, & necesse esse bene agere, immerito à quibusdam reprehenduntur. Hæc enim retinendæ atq; urgendæ ad redarguendam atq; refutandam securitatis Epicureæ opinionem, qua multi fidem mortuam aut persvasionem quandam vanam, quæ sine pœnitentia & bonis operibus est, pro vera fide falso habent: quasi scilicet in uno eodemq; corde simul stare possint vera fides & malum propositum in peccatis perseverandi & progrediendi: quod tamen prorsus est impossibile: aut quasi aliquis veram fidem justitiam & salutem habere ac retinere valeat, etiamsi arbor putrida & infrugifera sit maneatq;, neq; ullos bonos fructus ferat; imo quamvis in peccatis contra conscientiam perseveret, aut rursus destinata malitia in scelera priora relabatur. Hæc falsa & impia sunt.*

Interim tamen de hoc etiam discrimine commonefactio observanda est, quod per vocabulum necessitatis intelligenda sit necessitas ORDINIS, MANDATI & VOLUNTATIS CHRISTI ac DEBITI NOSTRI, *non autem necessitas coactionis. Vult enim mandatum* DEI, *ut creatura suo creatori obediat. Et, debitores sumus, non ut secundum carnem vivamus.* Et pag. 591. *Repudiamus & damnamus nudam hanc offendiculi plenam & Christianæ disciplinæ perniciosam phrasin: Bona opera noxia esse ad salutem. His enim postremis temporibus, non minus necessarium est ut homines ad rectè & pie vivendi rationem bonaq; opera invitentur atq; moneantur, quàm necessarium sit, ut ad declarandam fidem atq; gratitudinem suam in bonis operibus se exerceant, quam necessarium est, cavere, ne bona opera negotio justificationis admisceantur.* Et pag. 708. *Si quis bona opera articulo justificationis immiscere, justitiam suam aut fiduciam salutis suæ in ea reponere, gratiam DEI iis promereri, & per ea salutem consequi velit, respondemus non quidem nos, sed D. Paulus ipse, idq; tertio repetit: quod tali homini opera sua non tantum sint inutilia atq; ad salutem impedimento: verum etiam pernitiosa sint. Culpa tamen non est bonorum operum per se, sed vanæ fiduciæ, quæ contra expressum DEI verbum in opera collocatur. Inde tamen haudquaquam consequitur, quod simpliciter & nudè asserere liceat: Bona opera credentibus esse ad salutem perniciosa. Bona enim opera in credentibus (cum propter*

veras

veras causas fiunt & ad veros fines, sicut ea DEUS *à renatis exigit, referuntur) indicia sunt æternæ salutis.*

§. 3. Tertio, bona opera renatorum, quanquam DEO placeant, eo quod à personis DEO propter meritum Filii reconciliatis & placentibus proficiscantur, tamen non habent respectum meriti proprie dicti ad vitam æternam sive essentialiter sive accidentaliter consideratam. Dico proprie dicti: nam si merendi vox accipiatur sensu scriptoribus Ecclesiasticis usitato, ut mereri idem sit atq; ex institutione divina aliquid impetrare, fatemur, bona opera mereri augmentum justitiæ habitualis, impetrando nimirum, secundum illud: Habenti dabitur, præterea præmia temporalia & æterna, quantum dotes æternæ gloriæ concernit. Unde scripturæ docent, non propter opera, sed secundum opera redditurum piis DEUM, ubi τὸ κατ᾽ ipsam significat operum qualitatem, ut, *cujus apparuerint bona opera, ejus sit retributio gloriosa*, quæ sunt verba Gregorii M. in Psalm. VII. Ad proprie dictum meritum acquiritur 1. ut sit præstitum in commodum sive utilitatem alterius 2. ut ex asse sit nostrum 3. ut non sit debitum 4. ut intrinseca sua bonitate sit mercede dignum 5. ut proportione vel superet vel ad minimum æquet mercedem. Quæ omnia operum meritum proprie dictum evertunt. Nam primo, si bene operemur, nihil inde ad DEUM commodi emo-

lumenti atq; utilitatis redundat. Secundo, si bonis operibus studeamus, non nostris ea viribus præstamus: DEI donum est, quod ex justitia mercede afficere non obligatur. Tertio, opera nostra DEO debentur ut Dominus, creator, redemtor, sanctificator noster est. Quarto, quanquam bona opera juxta formam propriam bona sint & DEO placeant, tamen respectu adhærentis inseparabilis defectus peccata sunt, adeoq; talia, quæ secundum rigidam DEI justitiam pœnâ potius quam mercede digna sunt. Quomodo enim is mereri censendus sit, qui tantundem aut etiam plus mali faciat, quam boni? Jac. III. 2. Quinto nulla est inter vitam æternam ejusq; gradus & opera nostra justitiæ proportio. Dices: aliam esse justitiam rigidam & absolutam, aliam moderatam, non ex illa, sed ex hac teneri DEUM, neq; secundum illam, sed secundum hanc bona opera esse digna mercede vitæ æternæ. Respondeo aut intelligitur justitia commutativa, ad quam pœnarum quoq; inflictio pertinet, aut distributiva. Sed illa semper exactissima & rigidissima est, si scripturas audimus, docentes, DEUM per justitiam suam nec voluisse nec potuisse quicquam Sponsori generis humani Christo de rigore justitiæ suæ remittere. Justitiæ moderatæ, juxta quam DEUS nostras satisfactiones propter Christum exigere atq; examinare velit, in scripturis nec vola

nec

nec vestigium apparet. Vide Paulum Rom. III. 25, 26. Ex quo loco patet, DEUM secundum districtam justitiam in negotio justificationis agere, quam solus sustinere Filius DEI potuit, nos non possumus. Quod si satisfacere nequimus districtæ DEI justitiæ commutativæ sive vindicativæ pro originali & actuali peccato, sequitur neq; nos justitiæ DEI distributivæ satisfacere, sive per opera proportionalia ad moderatiorem quandam justitiæ normam præmia propriè mereri posse. Hoc enim meritum satisfactionem pro delicto præsupponit. Summa, scriptura non nisi unam justitiæ divinæ regulam novit, secundum quam *maledictus est omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis* Gal. III. 10. *maledictus est, qui absolvit impium & sontem* Proverb. XVII. 15. &c. Neq; est, quod dicas, præmium bonis operibus ex justitia dici ipsis reddendum II. Tim. IV. 8. Justitia enim DEI frequenter accipitur in Scripturis pro fidelitate & veracitate, DEI servantis promissa Nehem. IX. 8. Psal. CXII. 4. CXVI 5. Joh. XVII. 25. I. Joh. I. 9. Et sic justus judex reddet & dabit vitam æternam gratis, sicut gratis promisit. Primo enim beatitudo danda sanctis expresse tribuitur misericordiæ DEI, unde & ipsa vita æterna χάεισμα dicitur Rom. VI. ult. ἔλεος Jud. vers. 21. χάεις I. Pet. I. 13. Dices: ideo vocari gratiam, quia merita, quorum

est merces, ex misericordia data sunt. At Pauli antithesis notabilis. *Notandum hic*, ait Contarenus, *quod innuit Apostolus, ex justitia peccato deberi mortem, vitam autem æternam esse ex dono* DEI *gratuito. Non dicit* (addit Cajetanus) *quod stipendium justitiæ vita æterna: ut intelligamus, non ex nostris meritis, sed ex gratuito* DEI *dono assequi nos pro fine vitam æternam, propter quod & subdit: In Christo Jesu. Ecce meritum, ecce justitia, cujus stipendium est vita æterna, nobis autem est donum, ratione ipsius Christi.* Hæc benè. Quod si dicas, Christum nobis nihil aliud promeruisse, quam ut nos aliquid mereri possemus, immani blasphemia dicendum erit, Christum minimam salutis nostræ partem sive initium, nos autem ipsos longè majorem ipsumq; adeo salutis complementum mereri. Quod notandum, ut ab exceptione vindicentur multa Scripturæ loca, quibus dicimur *gratis salvati esse, secundum magnam* DEI *misericordiam* Eph. II. 8. Tit. III. 7. Dicunt adversarii, sermonem esse de salute inchoata non perfecta, illam gratiæ deberi, hanc operibus. Jam responsum est, sic gloriam salutis dividi inter nos & Christum, nobisq; adeo potiores partes deberi in ordine ad salutem, quam Christo. Christus enim, secundum adversarios, gratiam quidem aliquam meruit nobis immediatè: sed gratiæ augmentum, peccatorum deletio, ipsaq; adeo vita æterna non immediatè

diatè gratiæ Christi sed gratiæ nobis inhærenti immediatè tribuenda. Quomodo ergo excludetur gloriatio Rom III.27. & discretio I. Cor. I. 31. IV. 7. Deinde illustris est contra merita locus Luc. XVII. 10. Dices: servi inutiles sumus quia nihil justæ mercedis petere possemus, nisi DEUS liberali pacto nobiscum convenire voluisset. Sed notandum, loqui Christum ad Apostolos, quibus omnia promiserat ex pacto liberali, queis negat ullam gratiam deberi. Nam & post pactum liberale, manet illud: *Servi inutiles sumus.* Nihil enim est, quod DEO etiam extra pactum non debeamus ut domino & creatori nostro. Benè Cajetanus: *Nota parabolam pro memoria & conclusionem pro documento. Si servando omnia præcepta inutiles sumus, nec habemus unde superbiamus, quid sentiendum de nobis ipsis est, qui non omnia servamus, qui multorum rei sumus? Sed quid de nobis dico, cum nullus dicere posit, quod debebam feci, nisi exemtus sit à dicendo, dimitte nobis debita nostra.* Deniq; adducimus contra merita Paulum Rom IIX. 18. ubi negat opera justorum sive fidelium & vitam æternam ullam habere inter se æqualitatem. Neq; enim de operibus irregenitorum loquitur, sed de operibus, quæ procedebant à gratia DEI inhærente. Hæc ipsa negat habere æqualitatem ad vitam æternam. Dices, non habere ex se, sed ex gratia DEI. At Apostolus omnem operi-

bus

bus æqualitatem, sive ex se sive aliunde habeatur, admit, neq; uspiam vel leviſſimam hujus diſtinctiunculæ mentionem aut ſuſpicionem ingerit.

§. 4. Quarto, bona opera non ſunt ullo modo medium morale. Dico medium morale: nam medium mathematicum, quale eſt inter terminum à quo & ad quem, tribui bonis operibus poſſet, quæ rectè dicuntur via regni non autem causa regnandi, & neceſſaria ſunt ſalvando tanquam medium ordine antecedens in eo, qui ad præfixam ſalutem contendit. At medium morale non ſunt. Hoc enim relationem habet cauſalem ad finem, & phyſicè quidem eſt cauſa per accidens, moraliter vero cauſa per ſe. Nempe nuſpiam ſcriptura bonis operibus finem ſalutis adſcribit, nuſpiam ea ad ſalutem meritoriè concurrere docet, ut anteà oſtenſum. Quin neq; cauſa ſine qua non aut conditio ad ſalutem neceſſaria ſunt opera bona. Cauſa enim ſine qua non, quanquam aliis ſit cauſa æquivocè dicta, aliis tamen veram cauſæ rationem habet, qua altercatione Philoſophica adhuc durante, quam nulla ſpes eſt finiri poſſe, longè ſatius eſt abſtineri in Theologia à terminis Philoſophicis interminabiles gignentibus lites & nunquam finientibus quæſtiones. Deinde cauſa ſive conditio ſine qua non requiritur neceſſario, ut ea abſente non ſequatur effectus, at tali ratione bona opera ad ſalu-

salutem se non habent: multi enim salvantur infantes, multi adulti, quibus deest spatium benè operandi. Posset quidem tolerari, qui dixerit, bona opera esse conditionem sine qua non in subjecto salvando, puta conditionem signi & ordinis antecedentis salutem, ubi subjectum salvandum non excluditur à tempore & oportunitate benè operandi. Sed inde non sequitur: Ergo etiam sunt conditio necessaria ad salutem. Præpositio enim *Ad* insidiarum & æquivocationum est plenissima. Ex dictis liquet, bona opera non conservare salutem: hæc enim vis in Scriptura attribuitur potentiæ DEI & fidei I. Pet. I. 5. Concedimus bona opera esse necessaria moraliter & voluntate DEI positiva ad non amittendam salutem, sed inde non sequitur, ergo etiam sunt necessaria ad salutem conservandam. Distincta enim sunt non amittere & conservare. Abstinentia à præcipitio de excelsa rupe est necessaria ad non amittendam vitam, neq; tamen hæc abstinentia conservat vitam propriè loquendo. Causa enim conservans realiter & positivè influit in effectum. Dices: mala opera perdunt salutem, Ergo bona opera conservant. Sed rectè respondet CL. Hôpfnerus Disp. X. de Justif. pag. 910. *Contrariorum*, inquit, *contraria sunt consequentia, si contraria sint paria. 2. si contraria sint causæ, non autem effectus signa & accidentia.*

tia causæ. Accidentia namq; rerum propria sunt quidem incompossibilia, id est, non possunt consistere cum contrario rei, cujus sunt proprietates & à posteriori demonstrant absentiam non tantum proprietatis contrariæ, sed & rei contrariæ, non autem sunt corrumpens causa rei ut contrariæ causæ. Ita mala opera cum salute spirituali quidem nunquam sunt conjuncta, quia certum est, eos, qui contra conscientiam peccant, amittere gratiam & Spiritum Sanctum pellere, non tamen per mala opera, nisi consecutivè & signotenus: sed per infidelitatem, cujus effectus & certum signum sunt mala opera conscientiam devastantia. Hæc ille.

§. 5. Quæ cum ita sint, merito rejicitur propositio illa: *Bona opera sunt necessaria ad salutem.* Et multo magis illa, *Bona opera sunt necessaria ad salutem adipiscendam.* Hæ enim propositiones secundum communiorem & usitatiorem sensum inferunt quandam causalitatem sive physicam sive moralem in ordine ad salutem, quæ quidem minus expressa est in priori propositione, at in posteriore magis expressa. Scripturæ docent, salutem non ex operibus ullo modo. His ergo standum. Abstinendum ab omni specie mali & inprimis ab offendiculo nihil ad incrementum Ecclesiæ, multum ad detrimentum, experientia teste, profuturo. Bene Philippus in Locis pag. 35. edit. Lipsi. ann. 1559. *Diligentia digna est*

pia,

pius, propter concordiam loqui cum Ecclesia, & non sine eruditis cautis Ecclesia vetus alios modos comprobavit, alios rejecit. Fugiamus autem studium cavillandi, & formas receptas gravi & vera authoritate retineamus. Veræ & receptæ sunt hæ propositiones: Verbum factum est caro, Verbum factum est homo, DEUS incepit esse homo. Econtra vero rejectæ sunt hæ propositiones: Verbum est creatura, Christus est creatura, Christus incipit esse, Christus factus est. Prudenter enim vitata est ambiguitas, & vitatæ sunt insidiæ. Nam Ariani sic loquentes non de natura humana Christi assumta loquebantur, sed alteram naturam in Christo priorem humana contendebant ex nihilo conditam esse, non esse imaginem æterni Patris, genitam de substantia ejus, ὁμοούσιον & coæternam Patri. Verbum est homo, recepta est, quia intelligitur, verbum assumsisse humanam naturam. Verbum est creatura, rejecta est, quia non intelligitur assumtio alterius naturæ, sed prædicatum significat, λόγον esse creatum, quod falsum est. Hæc recenseo: ut moneam studiosos, ut in loquendo diligentiam adhibeant dignam piis mentibus & orthodoxæ Ecclesiæ sermonem imitentur.

ANTITHESIS

Continens rejectionem

§. 1. Pontificiorum, qui quatuor ordines faciunt

ciunt bonorum operum. Alia dicunt esse à DEO mandata, nempe hæc tria, Orationem, ad quam referunt laudes, actus confessionis & contritionis; jejunium, ad quod referunt omnia, quæ corpus affligunt, ut sunt cilicia, cineres, humicubationes, lachrymæ, quibus homo satisfaciat, non quidem pro amicitia cum DEO reformanda, sed ut debitum pœnæ temporalis, quod post culpæ remissionem maneat, per opera hæc pœnalia redimat; eleemosynam, quo referunt suffragia pro mortuis, sacrificium missæ, orationes & opera pœnalia atq; satisfactoria hominis justi pro iis, qui sunt in purgatorio. Resp. jejunium aliaq; ei annexa probari non posse, si vel ex hypocrisi suscipiantur vel illis tribuatur meritum & satisfactio. Hoc enim gloriam Christi, qui solus satisfecit, imminuit. Flagellationes Papisticæ carent mandato & exemplo virorum θεοπνεύστων, Baalis fermentum sunt, & Christi flagellationi injuriosæ. Alias jejunium, si ad debitum finem humiliationis coram DEO & refrœnationis carnalium concupiscentiarum referatur, non improbamus. Sicut nec orationem nec eleemosynam rejicimus: saltem varium utriusq; abusum impugnamus, quatenꝰ creaturas Papistæ invocant, item lingva peregrina prælati vel ipsi horas canonicas obeunt, ut vi orationis, etsi sine actuali ad DEUM mentis elevatione peragatur, & sibi & aliis etiam demer-

demortuis in purgatorio aliquid mereantur vel per alios vicarios & chorales administrari curant, cum hac opinione, quod *non observantes integritatem hujus officii quoad numerum, sed scienter ac volenter omittentes ex his partibus unam, lethali peccato se astringant* Bell. lib. 1. de bon. op: cap. 18. Eadem ratio eleemosynæ, quæ opus bonum est, si absit opinio meriti & satisfactionis pro pœna sive propria sive aliorum viventium vel mortuorum. Orationes quippe & oblationes pro mortuis eorumq; e purgatorio liberatione scripturæ incognitæ sunt, & inter somnia atq; deliramenta humana merito habendæ. Secundo, quædam opera dicunt esse divinitus consulta, ad meliorem, quam quæ in lege DEI præcipitur, perfectionem, in rebus liberis supererogationis ergo præstita: de quibus consiliis, D. V. agetur Exercit, sequenti, & ostendetur, hæc ipsa in se non esse cultum divinum vel ejus partem, sed ratione specialium circumstantiarum accidere cultui divino. Peccant interim graviter Papistæ, dum quædam libera faciunt, quæ sunt mandata & sic necessaria, qualia sunt *dilectio hostium & tolerantia injuriarum*, dum item, quæ paucis data & permissa sunt, omnibus libera esse dicunt, aut, quæ prohibita, qualia sunt superstitiones variæ, permittunt, svadent, mandant, deniq;, dum vim imminuunt & evertunt mandatorum divinorum v. g. de dilectione DEI ex toto corde quod præceptum tan-

tum affirmativum esse, ubi id necessitas gloriæ divinæ vel salus proximi flagitat, alio tempore si id fiat, tantum consuli ajunt, nec esse necessarium sed utile tantum. Quo stante, surgunt merita humana & Christi meritum cadit. Tertiò, bona opera dicunt esse, quæ ab Ecclesia mandata sunt, ut sunt feriæ,, jejunia indictiva, processiones certorum dierum, aquæ lustralis aspersio, consecratio cerearum puparum &c. Fatemur, Ecclesiæ hanc convenire potestatem, ut possit quædam mandare pertinentia ad ordinem & decorum, modo vitetur superstitio, neq; ordinationes Ecclesiasticæ, pro parte cultus divini cum laqueo conscientiarum venditentur aut libertati atq; ædificationi Ecclesiæ officiant multitudine, difficultate &c. Sed tales non sunt Romanæ Curiæ ordinationes, ut manifestum est. Quos non possumus non rejicere, dum dicunt eas *venialia peccata expiare, dæmones pellere, sanctificare ex opere operato.* Bellarm. lib. 2 de sacram. c. 31. Deniq; bona opera etiam ea dicunt, quæ ex bona intentione suscipiuntur, ut sunt, peregrinationes ad loca sanctorum, accensiones cereorum, vestituræ & coronationes imaginum. Quæ omnia nos rejicimus eo quod cum opinione cultus à Papistis conjungantur. Nullus enim cultus electitius DEO placet Matt. XV. 9, Coloss. II. 20. Vide de his omnibus CL. Hopfnerum in Saxonia Evangelica pag. 197. seqq. Sed

& al-

&alium errant errorem Papistæ (à quibus non multum absunt Sociniani, Arminiani, Anabaptistæ,) circa opera irregenitorum. Concilii Tridentini hæc est definitio: *Si quis dixerit opera omnia, quæ fiunt ante justificationem quacunq; ratione facta sint, vere esse peccata vel odium* DEI *mereri &c. anathema sit.* Can. VIII. Sess. VI. *Non definit, inquit Bellarm.* lib. 5. de grat. cap. 4. *Concilium, opera infidelium non esse peccata, sed non esse peccata opera omnia, quæ justificationem præcedunt &c. Neq; definit idem concilium, opera peccatorum fidelium non esse peccata, sed addidit: quocunq; modo facta. Ut intelligeretur, quædam fidelium peccatorum opera non esse peccata, illa videlicet, quæ fiunt cum auxilio speciali Dei.* Fatemur, opera, quæ ex speciali DEI gratia fiunt ante consummatam justificationem, quatenus oriuntur ex DEI gratia præveniente, excitante, nó esse peccata, sed tantum ob imperfectionem iis annexam, quo sensu etiam renatorum opera bona non sua natura & per se, sed ex accidenti propter annexam imperfectionem peccata dicuntur. Cæterum non defuere inter Papistas, qui docuerunt, actus spei, charitatis &c. quoad substantiam posse elici solis naturæ viribus, contra quos disputat Svaretz lib. 3. de auxil. divin. grat. cap. 1. eosq; excusat, *quasi per substantiam actus intellexerint communem rationem & convenientiam actus, non autem propriam & essentialem rationem specificam, & concludit*

eos falsam quidem sequi opinionem, sed non errare in doctrina fidei. Bellarm. lib. de grat. & lib. arb. cap. IX disputat *posse hominem sine fide non tantum cum speciali auxilio DEI, sed & absq; eo bonum aliquod morale perficere, si nulla urgeat tentatio.* Ubi si morale opponeret vitio Ethico, non multum contenderemus. At ipse τὸ morale opponit ei quod in Theologia habet rationem peccati & vult probare non esse peccata omnia opera, quæ fiunt sine fide. At huic opinioni contradicit Apostolus: *Quicquid ex fide non est, peccatum est* Rom. XIV. Ubi τὸ sine fide non potest esse idem quod sine conscientia. Conscientia enim omnium est, fides non omnium. Adde, quod, qui abstinebat, pro sua conscientia abstinebat. Fides ergo hic importat motum conscientiæ sic opera sua ad DEUM dirigentis, ut quod ei credit displicere, nolit attingere. At hoc fieri non potest ex viribus naturæ sine auxilio gratiæ speciali. Adde quæ supra de vi peccati originis & morte liberi arbitrii dicta sunt. Dices 1. infidelium opera DEUM remunerare 2. cum quis patrocinatur *pupillo*, eo quod est opus honestum, nihil facere contra legem DEI 3. si nullum opus bonum fieri posset ab infidelibus, satius est bona opera non facere quam facere. Resp. ad 1. nullam esse consequentiam DEUS infidelium opera remuneratur E. nulla ratione sunt peccata. Remuneratur bonum, quod

quod ineſt infidelium operibus. Fatetur ipſe Bellarm. *poſſe ſervari præceptum ſecundum ſubſtantiam operis etiam cum peccato.* Infidelium opera, quatenus ſunt conformia rectæ rationi DEUS remuneratur, non quatenus exorbitant. Ad 2. ad id ut opus aliquod ſit conforme Legi DEI requiri, ut homo ſit ſpiritualis & arbor bona, ut etiam fiat propter DEUM eumq; verum, tanquam propter ſummum finem, & præcipuam ſummamq; rationem agendi. Ad 3. etſi ſecundum modum agendi non ſint bona opera Ethnicorum, tamen adhuc ſatius eſt non ſcortari, non furtum facere, non occidere, quam occidere, ſcortari, furtum facere. Sed τὶ μοι κρὶ τὸς ἔξω κρίνειν 1. Cor. V. 12. Quæres deniq; quia diximus etiam renatorum opera bona eſſe peccata, annon utraq: ſint mortalia? Reſp. mortale accipitur dupliciter, vel pro eo, quod & actu primo & ſecundo mortale eſt, vel pro eo, quod actu primo quidem morte dignum ſecundum rigidum DEI judicium eſt, ſed mortiferum actu ſecundo non eſt. In priori claſſe ſunt irregenitorum: *in poſteriori regenitorum opera bona.* Dari peccatum aliquod ſua natura veniale probant adverſarii cum aliunde, tum inprimis ex Matth. V. 22. Sed recte reſpondet Hugo Cardinalis in gloſſ. *Judicium, Concilium, gehenna ſignificant infernalem pœnam. Svaretz Tom. IV in 3. Thom. Diſp. 45.* num. 13. *Hic locus, inquit, perobſcurus eſt, non pertinens ad generalem controverſiam: quia valde proba-*

bile est, omnia illa membra significare æternam condemnationem, & pœnam majorem ac minorem pro qualitate delictorum. Et Barradius Harm. Evang. tom. II. lib. I. cap. 12. respondet, *tres hos gradus supplicii pœnam significare gehennam, cuilibet letifero crimini destinatam, sed quia iracundiæ genera disparia sunt, etiam dispariter significata supplicia.*

§. 2. Antinomorum, Anabaptistarum, Libertinorum, qui secuti veteres hæreticos, Simonem Magum, Basilidianos, Carpocratianos, Gnosticos, Aetium & Eunomium, bonorum operum necessitatem oppugnant & liberam scelerum omnium licentiam permittunt. Ambstorfii item, qui bona opera ad salutem pernicioſa esse dicebat. Quod est contra scripturas. Fatendum quidem ex accidenti fieri posse, ut bona opera sint pernicioſa ad salutem, puta si accedat opinio meriti & fiducia justitiæ atq; salutis, sed inde non sequitur, Ergo absolutè & simpliciter sunt dicenda pernitioſa ad salutem. Rectè Apolog. Aug. Confess. art. 20. *Non damnamus*, inquit, *ipsa bona opera, sed opinionem meriti & fiduciam justitiæ & salutis, quæ collocatur in opere, damnamus.* Deniq; improbamus crassum errorem Calvinianorum & Anabaptistarum negantium electos Spiritum Sanctum & fidem amittere, etiamsi in adulterium aut alia scelera graviſſima contra conscientiam prolabantur. Quâ opinione stante universam de bonis operibus doctrinam

nam

nam labi necessum est. Vide hanc controversiam expeditam Exercit. de Fat Cal. §. 56. seqq.

§. 3. Pontificiorum, qui de meritis congrui & condigni multà cum opinionum varietate disputant, statuentes interim, bona opera non solum æternam beatitudinem verè proprie & ex condigno mereri, sed etiam divinæ justitiæ pro pœnis, quæ peccatis debentur, satisfacere. *Catholici omnes*, inquit Bellarminus, *agnoscunt opera bona justorum esse meritoria vitæ æternæ, sed tamen aliqui censent, non esse utendum illis vocibus de condigno & congruo. Ita docent Thomas VValdensis & Paulus Burgensis. Alii volunt opera bona justorum esse meritoria de condigno largo modo. Ita docent Durandus & Gregorius.* Nos vocem meriti largo modo accepti non damnamus, sicut suprà dictum. Neq; improbamus Waldensem, cujus verba Tom. VI. de Sacram. lib. I. cap. 7. hæc sunt: *Reputo saniorem Theologum & scripturis sacris magis concordem, qui tale meritum simpliciter abnegat & cum modificatione Apostoli & Scripturarum concedit, quia simpliciter quis non meretur regnum cœlorum, sed ex gratia DEI aut voluntate largitoris. Meritorum nostrorum in articulo mortis minimè DEUS attendit sive rationem congrui vel condigni, sed gratiam suam aut misericordiam suam. Quomodo ergo non ad injuriam Salvatoris & gratuiti coronatoris accedit, quod gratia ejus tacita, tantum disputamus de meritu?* Sed

redeamus ad Bellarminum. *Communis*, inquit, *& verissima sententia Theologorum admittit simpliciter meritum de condigno. Non desunt, qui censeant, opera bona justorum esse meritoria Vitæ æternæ ex condigno ratione operis, etiamsi nulla extaret divina conventio. Ita Cajetanus & Dominicus à Soto. Alii contra existimant, non esse illa meritoria ex condigno ratione operis, sed tantum ratione pacti & acceptationis divinæ: ita Scotus cum aliis è Veteribus Scholasticis & ex recentioribus Andreas Vega. Nobis media sententia probabilior videtur, quæ docet, opera bona justorum meritoria esse vitæ æternæ ex condigno ratione pacti & operis simul, ita ut in opere bono sit quædam proportio & æqualitas ad præmium vitæ æternæ.* Sed hoc falsum esse supra demonstratum. Et profecto ineptus est Bellarminus, dum conatur conciliare sententias toto cœlo dissidentes. Si enim opus bonum in sese dignum est vita æterna & ad eam quandam proportionem obtinet, sequitur male acceptationem gratiæ fundamentum constitui dignitatis & debiti ex justitia. Pergit Bellarminus: *Aliud est loqui de merito personæ, aliud de merito operis. Et rursus aliud de vita æterna ut est hæreditas, aliud ut est merces. Filius* DEI *per gratiam meretur ex condigno hæreditatem vitæ æternæ merito personæ sine alio pacto. Bona opera non requiruntur ad vitam æternam acquirendam ut hæreditatem, sed ne filium excidat ab adoptione & jure*

mer-

mereatur exhæredari. Proinde Filius DEI adoptivus per bona opera sine alio pacto non meretur vitam æternam acquirere, sed meretur eam non amittere. At sic omnia confunduntur. Quæritur an bona opera sint meritoria vitæ æternæ. Non hic respondendum, bona opera in subjecto salvando requiri, ut non amittat salutem. Hoc enim est extra controversiam. Quæritur, an in opere bono sit æqualitas & proportio ad præmium vitæ æternæ? Hoc debuisset probare Bellarminus. Neq; hoc evincit nomen dignitatis, quod occurrit II. Thess. I. 5. &c. Vox enim ἀξιῶσθαι non habet activam meriti significationem sed passivam dignationis, qua non absolutè in nobis, sed in Christo digni reddimur, æstimamur, censemur regno DEI, Coloss. I. 12. Benè Salmeron super Coloss. I. *Digni dicimur, quando hæreditas nullis nostris meritis obvenit.* Quod autem vita æterna proprie loquendo non sit merces, clarum est ex oppositione Paulina Rom. VI. 21. Adde quod nuspiam dicatur vita æterna merces. Dicitur quidem piorum in cœlo futura aliqua merces Matt. V. 12. Sed id intelligendum ratione graduum gloriæ, qui dantur κατὰ τὰ ἔργα, secundum opera, non vero propter opera. *DEUS compensat bona opera præmiis seu gradibus gloriæ, non quasi debeantur præmia ista pro operibus, sed consecutivè propter aliam causam,* inquit Apolog. Aug. Conf. art. 20. Interim mer-

cedis ratio & hæreditatis conciliari nequeunt. Vide Paulum Rom IV. 4. Habet quidem pro stabiliendis meritis suis quædam Bellarminus, sed quæ nullo modo idonea & apta sint conficiendæ rei, de qua quæritur. Non ergo est, quod iis profligandis immoremur. Quærit postea Bellarminus, *an fiducia in operum meritis collocari possit, & fiduciam Sanctorum ait non ex fide sola sed etiam ex bonis meritis nasci.* Addit: *In bonis meritis, quæ verè talia esse compertum sit, fiduciam aliquam collocari posse, modo superbia caveatur.* Mox velut sui oblitus in hæc verba erumpit: *Propter incertitudinem propriæ justitiæ & periculum inanis gloriæ tutissimum est, fiduciam totam in sola* DEI *misericordia & benignitate reponere.* Ubi notabilia verba sunt *tota* fiducia *in sola* DEI misericordia reponenda. Non dicit necessarium id esse, sed tutissimum. Melius Card. Contarenus in tractatu de justif. approbato à Doctoribus Regentibus Theologicæ Facultatis Parisiensis, sicut liquet ex principio operum Contareni Parisiis editorum anno 1572. *Ego*, inquit Contarenus, *prorsus existimo, piè & Christianè dici, quod* DEBEAMUS *niti, niti, inquam, tanquam re stabili, quæ certo nos sustentat, justitia Christi nobis donata, non autem sanctitate & gratia nobis inhærente. Hæc etenim nostra justitia est inchoata & imperfecta, quæ tueri nos non potest, quin in multis offendamus, quin assi-*

dnè

duò peccemus. Idcirco in conspectu DEI non possumus ob hanc justitiam nostram haberi justi & boni, quemadmodum deceret Filios DEI esse bonos & sanctos. Sed justitia Christi nobis donata est vera & perfecta justitia, quæ omnino placet oculis DEI, in qua nihil est, quod DEUM offendat, quod DEO non summopere placeat. Hac ergo sola certa & stabili nobis nitendum est, & ob eam solam credere, nos justificari coram DEO id est, justos haberi & dici justos. Utinam in hac simplicitate omnes acquiescerent! Nihil profecto opus fuisset tot Tridentinis decisionibus, iisdemq; magis Aristotelem quam Paulum spirantibus. Olim, (inquit Erasmus præfat. in Hilarium) fides erat in vita magis, quàm in articulorum professione. Mox necessitas admonuit, ut articuli præscriberentur, sed pauci & Apostolicæ sobrietatis. Deinde hæreticorum improbitas adegit ad exactiorem divinorum voluminum excussionem, pervicacia compulit, ut quædam ex autoritate synodorum definirentur. Tandem fides in scriptis potius quam in animis esse cœpit, ac pene tot erant fides, quot homines. Creverunt articuli, decrevit sinceritas: efferbuit contentio, refrixit charitas. Doctrina Christi, quæ prius nesciverat λογομαχίαν, cœpit à Philosophiæ præsidiis pendere: hic erat primus gradus Ecclesiæ ad deteriora prolabentis. Accreverunt opes & accessit vis. Porro admixta Cæsarum authoritas non multum promovit fidei sinceritatem. Tandem res deducta est ad Sophisticas contentiones,

anti-

articulorum myriades proruperunt. Hinc deventum est ad terrores & minas. Quamquam vita nos destituat; quum solida illa sacrarum literarum cognitio nos deficiat, tamen terroribus huc adigimus homines, ut credant quod non credunt: ament, quod non amant: & intelligant, quod non intelligunt. Non potest esse sincerum quod coactum est: nec Christo gratum est, nisi quod voluntarium est. Et paulo post: Nunquam plus accepit dispendii Ecclesia, quam, quum in eruditione philosophica, demum & in opibus hujus mundi quàm maximè promoviisse videbatur: non quod per se malæ sunt opes, sed quod plerumq; hominem involvunt curis hujus mundi. Nec per se mala est eruditio, sed plerumq; gignit factiones & dissidia. Prætexitur fidei Catholicæ defensio, & interim admiscent sese affectus privati & sub Christi titulo Satanæ negotium agitur. — Semper quidem ventilandus est gladius sermonis Evangelici adversus omnes errores impios, & omni, quod ajunt, pede standum adversus hæreses suppullulantes: Sed illam oportet primam esse curam, ne reperiatur in nobis, quod in aliis insectamur: deinde ne corrupti privatis affectibus, quod bonum est, dicamus malum: quod dulce, amarum: quod lucidum, tenebrosum. Est enim hoc pertinaciæ plerusq; mortalium ingeniis insitum, ut, quod semel quocunq; casu pronunciaverint, nunquam tueri desinant, etiamsi compererint sese perperam pronunciasse. Primum pudor obstat, is per contentionem proficit in pervicaciam, pervicacia tandem exit in rabiem

biem: ita fit, ut, dum utrinq; crudescit pugna, utrinq; veritas amittatur.

§. 4. Eorum, qui bona opera statuunt esse causam moralem sive medium morale ad vitam æternam. Quales Pontificii, Sociniani, Arminiani, Anabaptistæ. At hoc contra Scripturam est, omnem rationem sive meriti, sive causalis relationis ad finem salutis æternæ adimentis operibus. *Non ex operibus, ne quis glorietur.* Eph. II. 8. 10. Tit. III. 5. Eorum quoq;, qui bona opera censent esse causam sine qua non vel conditionem sine qua non *ad salutem.* Quales è Calvinianis Zanchius aliiq;. Deniq; eorum, qui dicunt, bona opera conservare salutem. Vide, quæ supra dicta sunt.

§. 5. Eorum, qui propositiones hasce urgent: *Bona opera sunt necessaria ad salutem, &, Bona opera sunt necessaria ad salutem adipiscendam.* Esse necessaria bona opera, in confesso est. Nempe necessaria sunt bona opera respectu DEI, qui hanc nobis gratitudinem mandavit: Respectu angelorum, quos offendi & abigi vita impura nefas: respectu proximi, ut vel lucrifiat, vel os ei obturetur, vel offendiculum removeatur: respectu nostri, ut habeamus testimonium atq; exercitium fidei, Spiritum Sanctum non contristemus, Diabolo hospitium in cordibus nostris non præbeamus, deniq; pœnas temporarias atq; æternas devitantes præmia corporalia & spiritualia benigna DEI &

gra-

gratuita remuneratione consequamur. At hinc non sequitur esse dicenda necessaria ad vitam æternam. Fundamenta, cur Formula Concordiæ has propositiones rejecerit, hæc sunt. I. Phrases hæ pugnant cum doctrina de particulis exclusivis in articulo justificationis & salvationis. II. Propositiones illæ perturbatis & afflictis conscientiis veram Evangelii consolationem eripiunt, occasionem præbent dubitationi de gratia DEI. III. præsumtionem & falsam opinionem de propria fiducia & propriæ dignitatis fiduciam confirmant. IV. ex interreligionis formula prodierunt & sic manifestos veritatis hostes authores habent. V. à Lutheroro rejiciuntur. Opponuntur dicta Scripturæ Ebr. X. 36. Rom. II. 7. Phil. II. 12. III. 14. Act. XIV. 22. II. Cor. V. 10. Act. XV. 28. II. Pet. I. 10. Rom. IIX. 12. XIII. 5. I. Cor. IX. 16. 17. Matt. V. 20. I. Tim. VI. 17. 18. 19. Rom. X. 10. II. Cor. VII. 10. Respondeo, ex his locis nihil aliud inferri, quàm opera esse necessaria homini salvando, & hominem benè operantem consequi salutem. Inde autem non sequitur: Ergo bona opera sunt necessaria ad salutem, aut, ergo operans quâ operans, consequitur salutem. Huic enim Paulus contradicit Rom. III. IV. Aliud est, patientia (ponamus ita vertendam vocem ὑπομονῆς) opus est, ut voluntatem DEI facias: qui autem voluntatem DEI facit, consequitur salutem æternam. Aliud: patientia necessaria

ad

ad vitam æternam. Hanc phrasium diversitatem nemo non videt. Aliud est: per viam afflictionum nos DEUS ducit in vitam æternam: Aliud, patientia & tolerantia afflictionum est necessaria ad vitam æternam. Aliud Justificatus in timore & tremore debet operam dare sive studere saluti: aliud; timor & tremor necessarii sunt ad salutem. Aliud; afflictio, qua DEUS utitur ad retinendos filios in officio, operatur salutem: aliud: patientia est necessaria ad salutem. Aliud: qui vult salvus esse & mortem effugere, debet mortificare carnem, abundantiorem justitiam *habere*: aliud: mortificatio carnis est necessaria ad salutem. Summa, non loquuntur objecta loca de operibus abstracte, aut de necessitate eorum ad salutem, ut per singula eunti patet. In specie quod attinet loca duo II. Cor. VII. 10. Rom. X. 10. vox necessarii ab utroq; abest. Pœnitentia ad salutem est pœnitentia salutaris Act. XI. 8. quam recte operari dicitur tristitia secundum DEUM. At tristitia secundum DEUM non est opus nostrum, sed DEI nos conterentis & deducentis per legem ad agnitionem & detestationem peccati, & per vocem Evangelii ad flagitandam veniam propter Christum. Est ergo contritio quidem, quæ agnitionem & detestationem peccati infert, necessaria ad salutem, sed negatur contritionem esse opus nostrum. Et aliud est de subjecto justificando vel salvando & de ejus conditionibus impedimenta submoventibus loqui, aliud

de

de relatione operum abstractè ad salutem. In loco Rom. X. 10. adhuc dubium est, qualis confessio intelligatur, an fidei, quæ creditur, an fidei, qua creditur, item q; an sit actus fidei justificantis, quatenus justificat, an vero sit actus fidei justificationem consequens. Prius si ponas, nihil pro operum necessitate ad salutem evinces. Conf. vers. 13. Luc. XIIX. 13. Reg. IIX. 33. Vide CL. Hopfneri Disp. XI. de justificatione cap. IV. V. &c.

D*Ethardinge*, bonorum operum quis terminus, & quod
Officium, Magni Præsidis ore doces.
Esto bonorum operum, quod es hactenus, undiq; cultor,
Hoc & opus bene sit proficiatq; tibi.
Sint licet ad sanctum nihil hæc stereoma salutis,
Magnus iis tamen est semper ubiq; locus.
Hoc si intelligerent plures, quam plurima nobis
Nulla querela foret, nulla ruina foret.

Scrib. amoris documentum

Joh. Georg. Dorscheus,
Argentorat. D.

(o)

IN FORMULAM CONCORDIÆ EXERCITATIO SEXTA DE DISCRIMINE LEGIS ET EVANGELII, DEq; TERTIO USU LEGIS.

Quam

AUXILIANTE SUMMO NUMINE

Cum Consensu VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOG.

Sub Præsidio

Viri Admodum Reverendi, Excellentissimi atq; Amplissimi,

DN. CASPARI MAURITII,

SS. Th. D. Celeberrimi P. P. & Past. ad D. Mariæ nec non Eccles. Rost. Superintend.

Doctorum Examini

Ad Diem

Subjiciet

Christianus Sigismundus Wolfius;

Frisacensis Marchicus.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII,

Acad. Typogr. Anno 1654.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730401073/phys_0181

DFG

DEO DUCE!

ARTICULUS V.

DE DISCRIMINE LEGIS ET EVANGELII.

Ἀφορμὴ.

OCcasionem certamini præbuit Johannes Agricola Islebius, qui Evangelium proprie acceptum non esse tantum doctrinam de gratia DEI, verum etiam simul concionem pœnitentiæ, quæ summum peccatum (incredulitatem) arguat, docuit, eamq; opinionem hausit ex pravo intellectu Apologiæ Augustanæ Confessionis. Quæritur ergo: an Evangelium proprie acceptum, quatenus legi DEI contradistinguitur, sit tantummodo concio de gratia DEI, quæ remissionem peccatorum nobis annunciet: an vero insuper concio sit pœnitentiæ arguens peccatum incredulitatis, quippe quæ non per legem, sed tantum per Evangelium arguatur.

THESIS.

Distinguuntur Lex & Evangelium officiis oppositis, neq; Evangelium in concionem iræ & redargutionis est transformandum, neq; Lex sub pratextu Evangelii in Novo Testamento abolenda.

§. 1. Omnium primo evolvenda est homonymia vocum Legis, Evangelii, Pœnitentiæ. Lex enim vel generaliter accipitur pro universo DEI verbo legem & Evangelium complexo Esa. II. 7. Jerem. XXXI. 33. Psalm. I. 2. CXIX. 8. 9. Joh. XV. 25. vel accipitur specialiter pro lege Mosis & ab Evangelio proprie dicto distinguitur Rom. III. 20. VII. 7. Pariter Evangelium vel capitur communiter pro omni eo, quod viva voce docuerunt & literarum monumentis consignarunt Christus & Apostoli, quomodo complectitur & legem ejusq; interpretationem & doctrinam de gratuita peccatorum remissione Marc. XVI. 15. Luc. XXIV. 47. Act. XIV. 15. &c. vel capitur stricte pro doctrina de gratuita peccatorum remissione & donatione vitæ æternæ, quomodo Legi opponitur Rom. X. 15. Marc. I. 15. Act. XX. 24. Deniq; pœnitentiæ vox accipitur vel universaliter pro pœnitentia & conversione tota omnibusq; ejus partibus contritione & fide Luc. XIII. 35. XV. 7. 10. vel particulariter pro prima pœnitentiæ parte, seria contritione & peccatorum agnitione atq; detestatione Marc. I. 15. Luc. XXIV. 47. Act. XX. 21. atq; hoc posteriori modo pœnitentia fidei opponitur. Quando ergo quæritur, an Evangelium sit concio pœnitentiæ, termini evangelii, legis, pœnitentiæ stant in propria & stricta significatione Cæterum distingvuntur Lex & Evangelium non tantum principio: Lex enim natura nota est quodammodo

Rom.

Rom. II. 14. 15. Evangelium absconditum Matt. XI. 27. Rom. XVI. 25. 26. &c. & objecto: Legis enim objectum sunt irregeniti, impœnitentes, securi, hypocritæ; Evangelii pœnitentes, contriti, consternati Matt. XI. 28. item adjunctis promissionibus omnigenorum bonorum, quæ ex parte Legis sunt compensatoriæ ex debito, ex parte Evangelii gratuitæ Rom. IV. 4. 5. verum etiam, inprimis officiis oppositis. Lex enim immotam DEI voluntatem, quid à nobis fieri velit DEUS, revelans, & plenam perfectamq; mandatorum observationem per illud, τῦτο ποίει, exigens, offert DEI majestatem nudam justitiamq; DEI repræsentat, peccatum ostendit & arguit, quia per carnem infirmatur Rom. IIX. 3. At Evangelium satisfactionem Christi monstrans, suumq; μόνον πίστευε requirens, misericordiam DEI in Christo, ut vestem preciosissimam offert, tegit & remittit peccata Esa. LXI. 1. 2. 10. &c. Summa, Lex est ministerium terroris, mortis & condemnationis, habetq; ἀδυναμίαν justificandi non simplicem quidem, aut absolutam, sed accidentariam, respectu nempe hominis lapsi Gal. III. 21. &c. Evangelium est ministerium solatii, justitiæ, vitæ, salutis. II. Cor. III. 6. 7.

§. 2. Ex dictis constat, Evangelium propriè dictum esse concionem gratiæ Esa LII. 7. LXI. 1. Joh. III. 17. V. 45. Act. X. 36. Rom. I. 16. I. Joh. II. 25. Neq; dicendum, evangelium propriè dictum

esse concionem iræ & arguere peccatum incredulitatis. Ex lege enim terrores, ex lege agnitio peccati & iræ divinæ. Quanquam enim lex per se fidem in Christum non doceat, requirit tamen ut homo omni verbo DEI, quale est Evangelium quoq;, fidem habeat. Si quis autem fidem habere detrectat, ei Evangelium proprie dictum non irascitur, sed relinquit talem sub fulmine Legis & iræ DEI.

§. 3. Utrumq; verbi DEI caput, Lex nempe & Evangelium, adhibito tamen debito discrimine non minus in Novo, quam in Veteri Testamento proponendum & docendum est. Sunt quidem Lex & Evangelium distinctissima, secundum ea, quæ dicta sunt, at tradunt operas mutuas. Lex enim corda lapidea malleo suo subigit & contundit ut perterritæ mentes ad Christum servatorem confugiant Jerem. XXIII. 29. Gal. III. 24. Evangelium credentibus, & piis vitam æternam promittit, incredulos autem & securos Legi domandos relinquit. Hanc methodum Spiritus Sanctus inde à lapsu hominis observavit. Hominem enim peccatorem voce legis & maledictionis legis transgressionem consequentis perterrefactum excitavit concione Evangelica *de semine mulieris contrituro caput serpentis* Gen. III. 15. *in quo benedicendæ erant omnes gentes terræ* Gen XXII. 18. *vulnerando propter iniquitates nostras, & atterendo propter scelera nostra.* Esa. LIII. 5. Idem opus

Spiri-

Spiritus Sancti in Novo Testamento: arguit quippe mundum de peccato idq; voce legis, cujus Doctor & interpres est Christus ipse Matt. V. adeoq; sic etiam in Novo Testamento *facit opus alienum, ut Propheta loquitur,* (Esa. XXIIX. 21) *quod est arguere, ut postea faciat opus proprium, quod est consolari, & gratiam* DEI *prædicare*, ut loquitur F. Conc. p. 712. Et pag. 593. hæc verba habet: *Etsi concio de passione & morte Christi, filii* DEI, *severitatis & terroris plena est, quæ iram* DEI *adversus peccata ostendit: unde demum homines ad legem* DEI *propius adducuntur, postquam velum illud Mosis ablatum est: ut tandem exactè cognoscant, quanta videlicet dominus in lege sua à nobis exigat, quorum nihil nos præstare possumus, ita ut universam nostram justitiam in solo Christo quærere oporteat: tamen, quamdiu nobis Christi passio & mrrs iram* DEI *ob oculos ponunt, & hominem perterrefaciunt, tamdiu non sunt propriè concio Evangelii, sed Legis & Mosis Doctrina, & sunt alienum opus Christi, per quod accedit ad proprium suum officium, quod est, prædicare de gratia DEI, consolari & vivificare. Hæc sunt propria prædicationis Evangelicæ.* Summa, Passio Christi, ut redemtionis est & gratiæ speculum, ad Evangelium pertinet: ut est speculum iræ & severitatis divinæ, est concio legis.

ANTITHESIS.

Continens rejectionem

§. 1. Islebii & sequacium confundentium Le-

gem & Evangelium, de quibus initio dictum. Sed & Pontificiorum, Socinianorum, Anabaptistarum aliorumq; varii hic errores sunt strictim expendendi. Primus est, cum docent, *Legis impletionem non tantum possibilem, verum etiam justo facilem esse in hac vita* Catechism. Rom. fol. 337. &c. Cœterum ad hanc controversiam expediendam notandum 1. legem moralem non tantum prohibere externa crimina, sed prævaricationes quascunq;, & motus quoscunq; peccaminosos interiores. 2. non esse sermonem de impletione legis favorabili, sed meritoria. Nempe quæritur an per legis impletionem homo mereri coram DEO ut judice possit vitam æternam, non vero, an renatus secundum ἐπιείκειαν coram DEO ut Patre sub gratia Christi implere legem possit & ea parte teneatur, qua à DEO proponitur ut obligativa sub periculo & pœna damnationis æternæ, quam incurrere necessum est omnes, in quibus peccatum perseveranter regnat. Fatemur, mandata DEI esse impossibilia naturæ & possibilia gratiæ, si per gratiam intelligamus non tantum gratiam sanctificationis & renovationis, verum etiam regenerationis, justificationis & remissionis peccatorum per fidem & imputationem perfectæ impletionis Christi, per quam id quod non fit vel minus fit, non imputatur. 3. cum sit gemina perfectio, alia secundum gradus, alia secundum partes, fatemur, perfectionem quandam partium posse in renatos cadere, hoc est, studium & conatum

tum obedientiæ universalis sive justitiam inchoatam, gradibus quidem incompletam, interim tamen legi quoad animi sinceritatem, omnesq; obedientiæ partes conformi. Negamus autem, talem obedientiam in renatos cadere, quæ legi divinæ secundum graduum perfectionem examussim respondeat. Primo enim manet in homine renato concupiscentia & consequenter ἀνομία, de cujus gravissimo onere vehementissima lucta & molestissimis certaminibus Paulus non opus habuisset conqueri, si non esset peccatum, sed *materia virtutis, si ei non consentiatur*, ut adversarii docent. Dices concupiscentiam non esse peccatum, eo quod non sit voluntaria neq; reum mortis æternæ efficiat. Verum, quanquam concedatur primos concupiscentiæ motus non esse deliberatos, sive ortos ex præcedente consultatione, ut & hoc, si non accedat consensus, non reddere actu homines renatos coram DEO reos iræ & mortis æternæ Rom. IIX. 1. inde tamen non sequitur, concupiscentiæ primos motus simpliciter involuntarios esse. Ipsa enim concupiscentia inclinatio quædam est voluntatis, utut voluntatis consensus sive plenus sive imperfectus desit. Dices: Paulum Rom. VII. motum concupiscentiæ dicere non esse suum opus & propterea sibi non posse imputari. 2. dicere, ejusmodi malum non esse in se sed in carne sua. 3. Jacobum cap. I 15. concupiscentiam distinguere à peccato. Resp. ad 1. Apostolus opponit

nit τὸ θέλειν τῶ κατεργάζειν itemq; τῶ πιεῖν, nec vult absolutè motum illum non esse suum, (fatetur enim se perpetrare &c. vers. 14. 15. 19.) sed intelligit non esse opus suum respectivè, secundum nempe Spiritum sive novam genituram, quæ efficaciter motui illi contradicebat. Nec dicit Apostolus sibi non imputari posse, sed non imputari nempe per gratiam DEI regenerantis & justificantis. Hinc οὐδὲν κατάκριμα nullam condemnationem (non autem nihil damnabile) esse in iis dicit, qui sunt in Christo Jesu. Ad 2. Caro designat totum hominem, quatenus est irregenitus, cui idem homo opponitur, quatenus est regenitus. Nempe homo est principium Quod actuum & motuum tam bonorum, quam malorum: principium Quo malorum actuum est caro sive vetus homo sicut bonorum Spiritus sive novus homo Ad 3. Si id quod parit peccatum, non esset peccatum, utiq; nec concupiscentia in infidelibus peccatum esset, quod tamen non admittunt adversarii. Nec sequitur Jacobus non vocat peccatum, ergo non est peccatum. Nempe diversi gradus peccati à Jacobo nominantur, qui tamen omnes sunt peccatum idq; in baptizatis pariter & non baptizatis. Verba enim Jacobi generalia sunt: *Unusquisq; cum tentatur &c.* Deinde, quotidie orare necessum habemus, *Remitte nobis peccata nostra, ne intres in judicium cum servo tuo* Ps. CXLIV. 2. *non enim*

est

est quisquam justus in terra, qui faciat bonum semper & eo gradu *ut non peccet* Eccles. VII. 21. *Caro concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, ut facere homo non possit bonum* tam perfectè quam vult ac debet Gal. V. 17. *Facti sumus ut immundi, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* In quem locum Bernhardus serm. V. *Nostra, si qua est humilis justitia, recta forsitan, sed non pura. Nisi forte meliores nos esse credimus, quam Patres nostros, qui non minus veraciter, quam humiliter ajebant: Omnes nostræ justitiæ, tanquam pannus mulieris menstruatæ? Quomodo enim pura justitia, ubi adhuc non potest culpa deesse? Recta proinde interim videri potest justitia hominum, si tamen peccato non consentiant, ut non regnet in eorum mortali corpore.* Vide Gerson. lib. IV. de Consol. Theol. pro 1. &c. Augustini lib. 1. de Christ. Doctr. cap. 22. hæc verba sunt: *Diliges DEUM tuum ex toto corde &c. ut omnes cogitationes tuas & omnem vitam & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa, quæ confers. Cum ait, toto corde, mente, anima, nullam vitæ nostræ partem relinquit, quæ vacare debeat & quasi locum dare, ut alia re velit frui, sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit,* Sed an hoc possibile? Respondet Bellarminus: *Ita diligere DEUM, ut semper actu DEUS cogitetur & diligatur & ita ut nihil obrepere possit, quod sit præter DEI & proximi charitatem, nobis in*

bis in hac vita non propriè imperari, sed tantum indicari. At indicare tam efficax, quale in isto præcepto extat, propriè imperare est, ut in illo Michæ VI. 8. Melius respondet Bernhardus serm. L. in Cant. *Non latuit præceptorem præcepti pondus hominum excedere vires, sed judicavit utile ex hoc ipso suæ illos insufficientiæ admoneri, ut scirent sanè, ad quem justitiæ finem niti pro viribus oportet. Ergo mandando impossibilia non prævaricatores homines fecit sed humiles.* Hæc rectiori stant talo, quam illa Scholasticorum quorundam, Scoti, Occami, Petri de Alliaco & Bielis statuentium, quod *voluntas Viatoris ex suis naturalibus possit DEUM super omnia diligere, quod liberum arbitrium ex suis naturalibus sine gratia possit elicere actum moraliter bonum, peccatum novum mortale quodlibet cavere, divina præcepta quoad substantiam actus implere.* Qui tamen dum addunt, præcepta non posse impleri sine gratia, quoad intentionem præcipientis priora expungunt. Nam ad substantiam actus requiritur etiam convenientia formæ debitæ inesse, non tantum convenientia in quantitate materiæ. Vide Bellarminum lib. 5 de grat. cap. 5. ubi *legem secundum substantiam operis sine gratia compleri posse negat.* Sed fallitur, cum lib. IV. de Justif. cap. 12. dicit, *Kemnitium distinctas quæstiones confundere, utrum præcepta possint servari, &, utrum homo possit esse sine peccato. Ad priorem respondet affirmativè, ad posteriorem negativè. Peccata enim venialia non sunt contra*

tra sed præter mandata, & etiamsi essent contra mandata, non tamen necesse est, inquit, ut in quolibet opere peccatum veniale admisceatur. Hæc falsa sunt. Quæ de venialibus peccatis dicit, nullo nituntur Scripturæ fundamento, imo adversantur Scripturæ testanti, omne peccatum repugnare legi DEI & esse contra mandatum DEI I. Joh. III. 4. *qui uno præcepto deliquit, esse omnium reum* Jacob. II. 10. *& maledictioni subjectum* Gal. III. 10. Rom. VI. ult. Quæ ex modo dictis patescunt. Benè Azorius Jesuita lib. IV. cap. 8. *Dicendum*, inquit, *ut docuerunt Durandus, Cajetanus, Vega & Major: veniale peccatum est quidem contra legem DEI, quia revera lex DEI, cum sit justa & recta ratio, prohibet & gravia & levia peccata.* Optimè Patres Synodi Africanæ habitæ Carthagine an. 418. Canon. VI. *Item placuit, quod ait Sanctus Johannes Apostolus* (I. Ep. I. 8.) *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus & veritas in nobis non est: quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem oportere dici, nos non habere peccatum, non quia veritas est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus & adjungit: Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & justus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. Ubi satis apparet, hoc non tantum humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere: Si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est. Sed cum ait: nos ipsos decipimus & veritas*

veritas in nobis non est, satis ostendit, eum, qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui sed falsum. Canon. VII. Item placuit, ut quicunq; dixerit, in oratione dominica ideo dicere Sanctos: dimitte nobis debita nostra, ut non pro se ipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria petitio, sed pro aliis, qui sunt in populo peccatores, & ideo non dicere unumquemq; nostrum: dimitte mihi peccata mea, sed dimitte nobis peccata nostra, ut hoc pro aliis potius, quam pro se justus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus n. & justus erat Apostolus Jacobus, cum dicebat: In multis offendimus omnes. Nam quare additum est OMNES, nisi ut ista sententia conveniret & Psalmo ubi legitur: Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tua OMNIS vivens. Et in oratione sapientissimi Salomonis, (Eccles. VII. 21.) Non est homo, qui non peccet. Et in loco Job (Cap. XXXVII. 7.) In manu OMNIS hominis signat, ut sciat OMNIS homo infirmitatem suam. Unde etiam Daniel (cap. IX. 5.) sanctus & justus, cum in oratione pluraliter diceret, Peccavimus, iniquitatem fecimus & cætera, quæ ibi veráciter & humiliter confitetur, ne putaretur, quemadmodum quidam sentiunt, hæc non de suis, sed de populi sui potius peccatis, postea dixit (vers. 20.) Cum orarem & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino DEO nostro. Noluit dicere, peccata Nostra, sed populi sui dixit & sua; quia futuros istos qui tam malè intelligunt, tanquam Propheta prævidit. Can. IIX. Item placuit, ut, quicunq; verba ipsa dominicæ Orationis, ubi dicimus: Dimitte nobis debita nostra,

stra ita volunt à Sanctis dici, ut humiliter non veraciter hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem, non hominibus sed ipsi DEO *mentientem, qui labiis suis dicit dimitti velle & corde dicit, quæ sibi dimittantur, debita non habere.*

Alter Pontificiorum error est, quem errant circa opera supererogationis & consilia perfectionis. *Consilium perfectionis* Bellarminus dicit *esse opus bonum, à* CHRISTO *nobis non imperatum sed demonstratum: non mandatum sed commendatum.* At nihil perfectius est illo: *diliges* DEUM *tuum ex toto corde tuo &c. Et proximum tuum sicut teipsum.* Nihil perfectius est illa charitate, quæ nobis mandata est I. Joh. III. 16. Joh. XV. 13. Nihil perfectius est vita CHRISTI, at hic omnia consilia perfectionis, ut vocant, non servavit. Dicit Bellarminus, *differre consilium & præceptum 1. ex parte materiæ, quia materia præcepti est facilior, consilii difficilior, materia præcepti bona, consilii melior 2. ex parte subjecti, quod præceptum commune sit omnium, consilium non item. 3. ex parte formæ, quod præceptum sua vi obligat, consilium in arbitrio hominis positum sit. 4. Ex parte finis, quod consilium si non observetur, nullam habeat pœnam, &, si servetur, majus habeat præmium.* Resp. ad 1. nihil difficilius esse impletione præceptorum DEI, nec quicquam melius iisdem aut perfectius esse Psal. CXIX. 96. Ad 2. non omne præceptum esse omnibus commune,

mune, alia enim data sunt statui Ecclesiastico, alia Politico, alia Oeconomico. Ad 3. Consilia de singulari cultu DEI non mandato, & perfectione suprâ obedientiam legi debitam asequenda per opera non mandata, sed commendata, talia, inquam, consilia in arbitrio hominis posita non sunt de jure, si de facto ponantur, nec voluntas DEI, nec opus bonum sunt. Ad 4. Nullum præmium illi debetur, qui non facit, quod præcipitur. Quanquam vero distinctionem consiliorum & præceptorum Papisticam rejiciamus, non tamen negamus, Christum & Apostolus consilia quædam ad commoditatem vitæ & cultum à DEO præscriptum expeditius obeundum dedisse, adeoq; differre dicimus præceptum & consilium 1. forma, præceptum præcipit & obligat, consilium svadet. 2. subjecto præceptum omnes obligat, consilium ad paucos pertinet eosq; capaces. 3. finibus, præcepta spectant magis rem ipsam, consilia rei modum v. g. conjugii, nempe instantem necessitatem solicitudinis & molestiarum quæ in conjugio sunt, carentiam, & avocamentorum â precibus remotionem. Allegant pro se adversarii verba Pauli I. Cor. VII. 25. & CHRISTI Matth XIX. 12. & vers. 21. &c. Sed in Paulo, etiamsi γνώμη vertatur per consilium (quæ tamen rectius redditur sententia vers. 40. & I. Cor. I. 10. Phil. 14.) non est tamen sermo de opere per se Theologi-

co, sed de re per accidens bona ob periculum instans & accommodatam ad liberiorem DEI cultum utilitatem, quæ tamen non efficit, per se esse DEI cultum. CHRISTI verba non agunt de facultate servandi virginitatem (erat enim quæstio te conjugato) sed de facultate intelligendi, quomodo cum perpetua conjugum obligatione posit ἐυνυχία quædam consistere, quam difficultatem solvit Paulus I. Cor. VII. 3. seqq. Cæterum verbum χωρείτω non consilii verbum est, sed mandati & præcepti, ut in illo: Qui aures habet ad audiendum, audiat. Sicut & verbum illud CHRISTI ad juvenem prolatum, *Vade & vende omnia*, mandatum est non consilium adeoq; tale mandatum, quod quidem non semper obligat sed in casu necessitatis proximi, quem Pharisæus iste falso jactabat se diligere, sicut semetipsum. Ut ergo detegeretur inanis Pharisæi tumor, mandato illo Pharisæum CHRISTUS constringere voluit. In specie quod attinet consilia perfectionis Papistica, ad quæ dicunt accedere debere votum, ut sit status, & primum quidem votum virginitatis, dicimus, donum esse peculiare nec cuivis datum atq; sic ad ejus observantiam neminem voto absoluto se obstringere debere vel posse absq; limitatione futurorum eventuum. Vota enim debent fieri 1. à personis liberis & sui juris 2. de rebus voventi possibilibus & utilibus atq; 3. acceptis DEO, cui

votum vovetur. Addimus obligationem ex voto cælibatus, si quod factum est, esse juris humani, quæ cedere obligationi, quæ ex jure divino & naturali oritur, debet. Quod si quis prævia sufficienti deliberatione votum absolutum sive simplex sive solenne (hæc enim non distinguenda) continentiæ emisit, & votum illud postea violet, hunc concedimus peccare. Vide I. Tim. V 9. Votum paupertatis pugnat cum præcepto Apostolico, quo injungitur omnibus, ut operentur quo indigentiæ propriæ & alienæ succurrant Eph. IV. 28. I. Thes IV. 11. 12. II. Thes III. 10. Recte ille apud Socratem Hist. Eccl. lib. IV. cap. XXIII. Monachus si non operetur, perinde atque fraudator judicabitur. Obedientiam spiritualem cœcam, qua quis fit servus hominum Paulus improbat I. Cor. VII. 23. Rejicimus ergo vota Monastica Papistarum, eo quod 1. fiunt sine verbo DEI approbante 2. cultus gratia instituuntur, qui in ipso statu & observationibus eo spectantibus collocatur 3. una cum cultu satisfactio & meritum supererogationis tam voventi quam aliis coram DEO juvandis applicabile iis tribuitur. Atque hinc sunt illa Professionem, ut vocant, emissuri dicentis: *Ego frater promitto obedientiam secundum regulam Augustini, Benedicti* &c. & Abbatis respondentis: *& ego tibi promitto regnum cœlorum, & vitam æternam, si hæc servaveris, &c.* Quod si nemo certus est

de

de meritis suis & de gratia DEI, ut concedunt Papistæ, unde constabit de certitudine & applicatione meritorum Benedicti, Lojolæ & aliorum Monachorum? Fatemur, id, quod ex voto justo fit, etiam in rebus, quæ mandato DEI ab omnibus non requiruntur, quamvis non ex natura ipsius voti in se spectati, tamen ex modo adjuncto, quatenus ex reverentia nominis DEI præstatur, cultus rationem quandam habere, negamus interim per se esse cultum.

§. 2. Tertius Pontificiorum, Socinianorum, Anabaptistarum, Arminianorum error committitur circa discrimen Legis & Evangelii. *Christum* enim *habent pro legislatore, & Evangelium æquè ac legem esse doctrinam operum, atq; continere leges propriè dictas, comminationes, deniq; promissiones cum conditione obedientiæ.* Affinis huic errori fuit error Islebii Agricolæ, de quo initio dictum. Nunc videamus primo, an Christus sit legislator, qui in Evangelio novas leges tulerit & 2. addiderit comminationes atq; 3. promissiones conditioni obedientiæ sive observationis mandatorum alligaverit. Bellarminus lib. IV. de Justif. cap. 2. *Evangelium accipi* docet *generatim pro doctrina operum tum mandatorum tum consultorum, & speciatim pro gratia* Novi Testamenti *sive viribus præstandi obedientiam legi.* Priorem acceptionem in scripturis fundatam esse dicit, posteriorem non. Nos vocem Evangelii concedimus accipi generatim pro Lege

& Evangelio, speciatim vero dicimus propriè continere doctrinam de Christo, & specialissime doctrinam de Christo exhibito Act. XIII. 32. Rom. I. 2. Vocatur quidem Evangelium Lex fidei Rom. III. 27. Sed ibi Lex generaliter accipitur pro doctrina, quæ exigit & efficit fidem. Et quia Evangelium est medium quo sanctificamur Gal. III. 2. Rom. I. 16. Ideo Evangelio tribuitur actus ille sanctificans tanquam proprius Novi Testamenti Jerem. XXXI. 33. ubi & actum reconciliationis sive justificationis & actum sanctificationis sive inscriptionis Legis in cor tanquam duos actus proprios Novi Testamenti habes. Manet ergo Bellarmini acceptionem propriam Evangelii confictam esse. Obiter observentut notæ, quas Theologi constituunt, ut earum beneficio intelligi queat, quibus in locis Evangelium propriè capiatur. I. ubicunq; evangelio opponitur doctrina legis vel effectus quidam ex lege ortus puta contritio, ira, dolor &c. ibi proprie capitur Marc. I. 15. II. ubicunq; materia Evangelii statuitur Christus cum beneficiis suis, puta reconciliatione cum DEO, υἱοθεσία, remissione peccatorum gratuita, ibi propriè capitur Esa. LXI. 1 seqq. Luc. IV. 18. III. ubi objectum Evangelii statuuntur contriti sensu iræ divinæ, quos pauperes Spiritu vocat Scriptura, ibi propriè accipitur ut loc. cit. Matt. XI. 5. IV. ubi effectus statuitur vita & salus per Christum fide apprehensum obtinenda, ibi propriè capitur & legi opponitur,

nitur, ex qua salus non est Rom. I. 16. V. ubi relatum Evangelii ponitur fides, ibi itidem propriè capitur: Lex enim non est ex fide, sed quisquis fecerit ea, vivet in eis Gal. III. 12. Marc. I. 1. Sed redeamus ad controversias nostras. Primo quæritur an Christus sit Legislator, qui novas tulerit leges. Fatemur Christum, ut DEUS est, esse legislatorem propriè dictum, & improprie, dum requirit legem fidei, & leges dedit de baptismo & Cœna Domini, itemq; legem moralem docuit, vindicavit à corruptelis Matt. V. & in compendium redegit Joh. XIII. 34. Sed negamus Christum legem Mosaicam additamentis novarum legum, aut consiliorum reddidisse perfectiorem. Quanquam id quod de consiliis dicitur, nequaquam feriat statum causæ. Legis enim imperare est, consilii svadere. Lex bona est per se, at opera consiliorum adiaphora sunt per se, & per accidens tantum bona sunt, ut suprà dictum. Dices: Christum legem moralem in N. T. impleviſse Matt. V. 17. Resp. implevit legem Christus perfecte, hoc est, perfectè observavit. πλήρωσις enim opponitur τῇ καταλύσῃ sive λύσῃ hoc est, violationi vers. 19. Interim negamus Christum nova præcepta legalia addidisse, aut jam data extendisse. Quod probatur 1. Quia quod tribuitur uni oppositorum, id adimitur alteri. At legislatio in sensu opposito tribuitur Mosi. Ergo adimitur Christo Joh. I. 17. II. Lex Mosis est perfectissima regula

vitæ Psal. XIX. 8. ad quam vivens perfectissimam vitam vivit, vitamq; adipiscitur æternam. III. nullum morale præceptum in N. T. dari potest, quod ad duo illa objecta, amorem DEI & proximi eumq; in gradu perfectissimo, reduci non possit. IV. Si Christus perfectiorem legem attulit, sequitur, quod ex lege Mosis non tantum sit agnitio peccati, quod est contra Apostolum Rom. VII. 7. Imo, quod gravius est, aut ab ejus execratione nos redemit Christus, aut non redemit. Si non, sumus adhuc sub execratione. Si redemit, proferatur litera scripturæ, quæ hoc dicat. Dices: ex Matt. V. 21. constare, Christum legem Mosis ad exactiorem formam redegisse. Clara enim sunt verba: Audistis dictum fuisse veteribus, Ego autem dico vobis &c. Respondeo, istis verbis non opponi Christum Mosi, sed Pharisæorum corruptelis, ut ex antecedenti versu clarissimè liquet, ubi dicit Christus: *Nisi abundaverit vestra justitia plusquam scribarum & Pharisæorum &c.* ubi notandum: non dicere Christum, plusquam Legis & Prophetarum, quippe legem perfectè servantibus vita promissa erat. Adde, quæ consequuntur de juramentis per aurum templi, per donum super altare, de inimico odio habendo &c. quæ manifestæ sunt legis corruptelæ Vide Exercit. Antisoc. III. §. 9. seqq. Deinde quæritur, an in Evangelio proprie dicto sint comminationes. Adversarii affirmant & allegant Matt. III. 10. V, 22. VII. 19.

item

item Paulum Rom. I. 17. 18. II. 16. Act. XXIV. 24. 25. & Petrum Act. II. 37. Jacobum cap V. 1. Johannem Apoc XIV. 6. deniq; verba Symboli Apostolici de futuro judicio extremo. Nos contra: Si lex iram operatur & per hoc ab Evangelio distinguitur Ministerium legis tanquam ministerium mortis, sequitur, Evangelii proprie dicti nullas comminationes esse. Prius verum Rom. VII. 7. II. Cor. III. 6. &c. Adde Rom X. 5: 6. 9. Atq; hoc ipsa vis vocis Evangelii evincit. Quomodo enim lætus nuncius terreret, aut comminaretur? Consolatur potius idq; consolatione perfecta. Consolatio enim, quæ oritur ex Charitate & fiduciæ bonæ conscientiæ incumbit, imperfectior est & coram judice DEO consistere nequit I Cor. IV. 4. At Evangelii proprie dicti consolatio perfecta est. Dat enim Spiritum adoptionis sive motum virium spiritualium, ut sicut filii de Patre non nisi paternam in Christo benevolentiam sibi polliceantur, & obedientiam liberam atq; spontaneam præstent, filialiter DEUM invocent. Rom. IIX. 15. Ad superiora respondeo, id non esse in quæstione, an in libris N. T. (qui metonymice Evangelium dici possunt) sint conciones legales, inservientes voci Evangelii, ut territi fulmine legis homines & contriti solatii Evangelici participes fierent. Hoc quæritur, an Evangelium proprie dictum sit per se concio iræ & comminationes complectatur. Articulus de extremo judicio ut

terrificus est incredulis & impœnitentibus, ita pœnitentibus & credentibus est consolatorius. Deniq; quæritur, an in Evangelio proprie dicto contineantur promissiones cum conditione obedientiæ. Notamus, vocem conditionis vel accipi proprie pro conditione causali sive meritoria, vel improprie pro conditione organi, ordinis & signi. Priori respectu negamus in Evangelio proprie dicto esse conditiones: posteriori admittimus conditiones fidei quæ organon est Christi justitiam apprehendens & bonorum operum, quæ sunt aliquid ordine antecedens salutem & fidei atq; remissionis peccatorum signum. Adeoq; damus promissiones Evangelicas esse conditionatas & simul gratuitas, involvereq; conditionem obedientiæ non ut *causas juris ad rem promissam*, sicut volunt adversarii, sed ut adjunctum vel effectum rei promissæ aut donationis ejus. Objectiones adversariorum ex dictis dilui possunt.

§. 3. Rejiciuntur Monachi Sophistæ *triplicem legem* facientes, *Naturalem Mosaicam & Evangelicam*, docentesq;, *Patriarchas legis Naturæ Israelitas Legis Mosaicæ, Christianos novæ legis Evangelicæ perfectioris observatione & impletione fuisse justificatos atque salvatos.* Sociniani & Anabaptistæ negant, *Patres in V. T. habuisse promissiones spirituales de remissione peccatorum per Messiæ satisfactionem & vitæ æternæ per ejusdem meritum obti-*

obtinenda. Negant item, *Patres V. T. æque ac nos justificatos & salvatos esse per* CHRISTI *meritum & passionem.* Sed de remissione peccatorum expresse Petrus Act IV. 12. *In nullo alio est salus, nec aliud nomen hominibus datum est, in quo salvandi.* Et cap. X. 43. *Huic testimonium dant omnes Prophetæ, quod remissionem peccatorum accepturi sunt omnes, qui crediderint in nomen ejus.* Vid. Psal. XXXII. 1. 2. Ezech. XIIX. 20. seqq. De vita æterna expressus est locus Dan. XII. 2. 3. Confer Joh. V. 39. Jud. vers. 14. seqq. Levit. XIIX. 5. ubi habes *qui fecerit hæc, vivet in eis.* Hic autem non aliam esse intelligendam vitam, quam æternam clarum est ex Luc. X. 25 Confer Exod. III. 6. & Matth. XXII 31. Deniq; ubi fides est, ibi est promissio salutis æternæ Rom. IV. 13. At in V. Test. fuisse fidem nemo negabit, qui expenderit cap. XI. ad Ebræos. Vide vers. 10. 16. 25. seqq. Unde consequitur Patres V. T. æquè ac nos justificatos & salvatos esse per CHRITI meritum & passionem. Vide Esa. LIII. 4. seqq. Rom. III. 21. Gal. III. 8. 9. & vers. 11. *Quoniam in lege nemo justificatur apud DEUM manifestum est, quia justus ex fide vivet.* Rom. V. 15. 18. I. Pet. I. 20. Ebr. IX. 15. 25. Hinc Apoc. XIII. 6. *Agnus* dicitur *mactatus esse à jacto mundi fundamento.* Sed inprimis manifestis est locus Act. XV. 10. 11. ubi Petrus: *Quid tentatis jugum imponere collo discipulo-*

pulorum, quod neq; nos, neq; Patres noſtri portare potuerunt? Imo per gratiam Domini noſtri JESU CHRISTI credimus nos ſervatum iri ſicut illos. Ubi ſive τὸ illos referas ad remotius, ſive ad propinquius, perinde erit. Si ad propinquius, ſicut fieri omnino oportet, ſenſus eſt: Juſtificari nos in N. T. per gratiam JESU CHRISTI, ſicut juſtificati olim fuerint Patres V. T. Quod ſi ad remotius (gentes) referatur, eadem manet ſententia. Tum enim τὸ nos includit etiam Patres, qui in præcedente commate conjuncti Apoſtolis fuerant. Summa, quæſtio erat inſtituta quomodo eſſent ſalvandi gentiles, an etiam eſſent ſalvandi per obſervationem legis. Reſpondet Petrus, id fieri non poſſe, eò quod Lex ſit onus, quod nemo potuerit portare, per quam nec ipſi nec Patres potuerint ſalvari. Omnibus ergo, quibus à DEO fuit impoſitum importabile legis jugum, de illis affirmat Petrus, per gratiam JESU CHRISTI eos ſalvari. Adde exempla Abrahami ante Legem Rom. IV. & Gal. IV. Joh. IIX. 56. & Davidis ſub lege Act. II. 30. II. Cor. IV. 13. Rom. IV. 5. ſeq. Pſal. CX. 1. atq; duodecim tribuum Iſraelis Act. XXVI. 6. 7. Luc. II. 25. 38. Act. III. 21. ſeqq. Vide Exercit. Antiſocin. V. §. 2. ſeqq. Deniq; rejicimus Antinomos, de quibus ſequitur.

AR-

ARTICULUS VI.
DE TERTIO USU LEGIS.

Ἀφορμή.

Occasionem huic articulo concipiendo idem Agricola Islebius dedit, qui Anno M. D. XXXIIX. publice docere & disputare cœpit, Legis doctrinam esse tollendam prorsus ex Ecclesia & ad patibulum relegandam. Secuti hunc alii. Antinomorum furoribus ipse Lutherus tunc temporis se opposuit.

THESIS.

Præter Legis usum contra refractarios, quem politicum vocare licet, & eum qui respectu justificandorum est, quem Pædagogicum rectè salutamus, est tertius quoq; usus Legis respectu renatorum, qui didacticus vocari potest, consistens in docendo, arguendo, excitando: nec licet renatis pro lubitu quidvis agere, sive id sit extra sive contra DEI Verbum.

§. I. Triplex est usus Legis moralis, quæ alias in justificatis suam vim amisit respectu violentæ coactionis maledictionis & condemnationis. Primus

mus est politicus, qui in eo consistit, ut vigore legum externæ politiæ conserventur, quæ sine legibus & pœnis funus futuræ essent. Secundus est Pædagogicus respectu irregenitorum, quos terret Lex, iram DEI exasperando, ut abjecta fiducia in operibus propriis velut manu ducantur ad CHRISTUM Gal. III. 24. Tertius est respectu renatorum, qui ex lege cognoscunt quid ab ipsis fieri velit DEUS. Quorum opera quanquam eatenus sint opera legis, quatenus ad præscriptam Legis referuntur, potius tamen sunt dicenda opera & fructus Spiritus Gal. V. 22. quia Spiritus ea in renatis operatur. *Justo enim non est lex posita* I. Tim. I. 9. facit enim ea, quæ lex præcipit, sine legis coactione, spiritu spontaneo, secundum interiorem hominem, secundem quem delectatur Lege DEI, eiq; servit Rom. VII. 23. 25. Hinc illud Johannis est I. cap. III. 9. *Quisquis natus est ex DEO, peccato non dat operam.* Cujus dicti sensus non est, quasi renati esse sine peccato possint (contrarium enim est I. Joh. I. 8.) aut quasi opera bona renatorum sint perfecte bona (qui enim sine peccato esse nequeunt, eo quod ipsis adhærent semper peccati reliquiæ Rom. VII. 21. seqq. &c. eorum opera perfecte bona esse nequeunt) Sensus ergo est: Qui ex DEO natus est, in eo non regnat

pecca-

peccatum, nec regnare potest, quantisper ex DEO natus manet.

§. 2. Spiritus Sanctus impellit & ducit renatos non immediatè per arcanas inspirationes, sed per verbum suum secundum normam & præscriptum Legis. Evangelium enim propriè dictum non quid operando facere, sed quid credere debeamus, docet. Sunt quidem renati liberi puta à coactione, interim libertas eorum non est ἄνομος sed ἔννομος, eo quod spiritu spontaneo & mente serviunt legi DEI.

ANTITHESIS.

Continens rejectionem.

§. 1. Antinomorum, quorum Dux fuit Johannes Agricola Islebius, qui docuerunt Legis in N. T. usum nullum esse, eo quod dicat CHRISTUS Matth. XI. 13. Legem debuisse durare usq; ad Johannem & Paulus Rom VI. 14. dicat, renatos non esse sub lege, itemq; I. Tim. I. 9. justo non esse Legem positam. Sed in loco Matthæi nihil aliud dicitur, quam Mosen & Prophetas de CHRISTO vaticinatos esse exhibendo, quem Johannes exhibitum docebat. Quod si Antinomorum consequentia valet, pariter sequetur, Mosis & Prophetarum scripta in N. Testa-

Testamento penitus abolenda esse, nec ullum amplius usum habere. Quod attinet locum Pauli, aliud est sub lege esse, aliud est sine lege esse. Imperator non est sub lege, neq; tamen est sine lege. Renati non sunt sub imperio legis coactivo & damnativo, neq; tamen sunt sine lege. Justo non est lex posita, sive opposita: lex enim vim cogendi & maledicendi respectu justificatorum amisit. At hinc non sequitur: legis respectu justificatorum nullum amplius usum esse.

§. 2. Veterum hæreticorum, qui blasphemabant, *doctrinam legis esse à malo DEO*, hoc est, à Diabolo. Quales Manichæi, Marcionitæ, Cerdoniani, Valentiniani. Recentiorum docentium *renatis non esse opus, ut ex lege discant, quid sit faciendum, in quibus operibus sit ambulandum, sed vivendum prout cuiq; spiritus suus suggerit, sive illud sit extra, sive etiam contra verbum.* Quales inter Anabaptistas Libertini. Præivit his Apostolorum temporibus Simon Magus, qui finxit, *renatis non esse opus, ut attendant ad legem DEI, sed licere vivere, sicut libet.* Vid. August. & Epiphan. Deniq; Antinomos rejicimus, negantes, bona opera esse necessaria. Ratio illorum fuit, quia sunt libera & spontanea. At hæc consequentia nulla est Idem enim certo respectu necessarium & liberum esse posse, ostensum

Exerc.

Exerc. III. Vide Exercitationem præcedentem. Præivere Antinomis Valentiniani, qui trinitatem hominum, ut loquitur alicubi Tertullianus, faciebant, πνευματικῶν ψυχικῶν & σαρκικῶν, dicentes, sibi ut πνευματικοῖς bona opera non esse necesaria, cæteris esse. Vide Tertull. cont. Valentinianos.

Eximio

DN. RESPONDENTI,

S. P. P.

LEx & Evangelium quanto discrimine distent,
Ex formula CONCORDIÆ liquet probè.
Huic defendendæ claro sub PRÆSIDE servis.
Factum bonum! succedat ô feliciter!

Temet

Temet Evangelium tandem exhilarabit, Amice,
Suggestuiq; sistet apprimè bono·
Justitiæ vult lex; sint præmia justa laborum!
Desidibus haut est competens evangelium.

Scrib. boni ominis & voti causa

Joh. Georg. Dorscheus,
Argent. D.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730401073/phys_0212
DFG

IN FORMULAM CONCORDIÆ EXERCITATIO SEPTIMA DE SS. DOMINI COENA

Quam

AUXILIANTE SUMMO NUMINE

Cum Consensu VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOG.

Sub Præsidio

Viri Admodum Reverendi, Excellentissimi atq; Amplissimi,

DN. CASPARI MAURITII,

SS. Th. D. Celeberrimi P. P. & Past. ad D. Mariæ nec non Eccles. Rost. Superint. meritissimi.

Placidoeruditorum examini

Ad Diem Augusti

Subjiciet

PHILIPPUS REIMARI,

Ucarm. Pom.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII,

Acad. Typogr. Anno 1654.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730401073/phys_0213

DFG

DEO DUCE!

ARTICULUS VII.

DE COENA DOMINICA,

Ἀφορμὴ exhibens statum controversiæ.

OCcasionem certamini intestino dedit Philippus Melanchthon, eumq; secuti Crypto Calviniani Witebergenses, qui cum initio tectè negotium Calvinianorum agerent, postea apertius suum ab Ecclesia Lutheri sententiam de præsentia corporis & sangvinis Dominici in Cœna amplexa secessum editis libris contestati sunt. De qua re dictum in prolegomenis Formulæ Concordiæ. Quæritur ergo, an in Cœna Domini corpus & sanguis Christi verè realiter & substantialiter præsentia sint, atq; vescentibus in cum & sub pane & vino consecratis exhibeantur, & ore corporis à dignis pariter & indignis sive impœnitentibus accipiantur. Hæc quæstio est in præsenti articulo principalis. Altera minus principalis de consecratione est, statuentibus nonnullis, tantam per consecrationem effici unionem inter panem & corpus, ut etiam extra & post actiones Sacramentales illa unio permaneat. Quæritur ergo de veritate illius

regulæ: Nihil habet rationem Sacramenti extra usum.

THESIS.

IN Cœna Domini vi verborum institutionis Corpus & sanguis Christi verè, realiter, essentialiter & substantialiter præsentia sunt, atq; vescentibus in, cum & sub pane & vino consecratis exhibentur, eademq; ore corporis à dignis pariter & indignis accipiuntur.

§. 1. Verba Institutionis sunt propria sedes articuli de Cœna Domini. Id probat Paulus, qui subortis in Ecclesia Corinthiaca dissidiis ad verba Institutionis velut ad normam Corinthios deduxit I. Cor. XI. 15. Adde, quod ante institutionem Cœnæ hoc Sacramentum planè fuerit incognitum, quod voluntas Testatoris aliunde nec possit nec debeat innotescere, quàm ex tabulis Testamenti. At verò Sacra Cœna est Testamentum Christi, quatenus Testamentum denotat dispositionem tum fœderalem, tum proprie dictam testamentariam. Quare aliunde quam ex tabulis hisce voluntas Testatoris innotescere nequit. Nequaquam ergo Verba Institutionis sunt habenda tanquam κεχνόμενον sive tanquam res, quæ in disceptationem & controversiam ipsa venit: quin potius norma sunt, secundum quam tota controversia unicè dijudicanda est.

§. 2. Ver-

§. 2. Verba Institutionis sunt literaliter accipienda. Nota, verba Institutionis esse vel dispositiva sive testamentaria, ut, *hoc est corpus meum, hoc est sangvis meus*: vel imperativa, ut *edite, bibite*; vel promissoria, ut sunt, *pro vobis, facite in mei commemorationem.* Quod ergo attinet verba dispositiva & imperativa, hæc sunt accipienda sensu proprio & literali. Nulla enim necessitas aut ratio urgens jubet recedere à sensu proprio & literali. Quin necessitas & ratio urgens jubet literæ inhærere, quam expressit Magnus noster Chemnitius lib. de Fundam. Cœnæ pag. 30. ubi subnectit verba Lutheri, quibus ad ipsum Filii DEI tribunal se producturum ait hanc apologiam: *Domine Jesu Christe, nata fuit controversia & ortum certamen de verbis testamenti tui. Quidam contenderunt, verba ista aliter, quàm in propria & nativa sententia sonant, intelligenda esse: sed quia inter ipsos non convenit, quis tropus & in qua voce sit collocandus, non potuerunt unicam & certam interpretationem illorum verborum constanter & consentienter ostendere: sed in multas varias & dissimiles interpretationes & opiniones distraxerunt verba testamenti tui, non potui itaq; nec volui fidem meam in hac tam gravi controversia committere incertis illis variis & dissentientibus interpretationum & opinionum fluctibus. E contra vero vidi, si verba accipiantur, sicut sonant, in simplici propria & nativa sententia, tunc*

constanter reddi unicam & certam sententiam. Ego igitur, qui statui, te voluisse unicam & certam esse testamenti tui sententiam, in ea interpretatione acquievi, quam verba in simplici propria & nativa sententia unicam & certam reddunt & ostendunt. Si enim voluisses aliter, quam sonant verba illa, intelligi, sine dubio adjecisses claram & apertam declarationem, sicut idem fecisti in illis locis, in quibus alucinatio non est conjuncta cum tanto periculo sicut in verbis testamenti tui.' Hæc B. Lutherus bene, nec potuit melius. Dices: nos non retinere τὸ ἐστὶν, eò quod statuamus τὸ Hoc idem esse ac cum in sub hoc. Resp. pronomen δεικτικὸν exponendum esse per vocabula sive particulas unionem inferentes, quales sunt, *in cum sub* hoc. Hujus expositionis fundamenta ipse monstrat Spiritus Sanctus in locis similibus. Cum hic, puta Filius hominis dicitur DEUS, id Paulus explicat, DEUS est in carne, in ipso habitat tota plenitudo Deitatis. Eadem est ratio propositionis illius, cum viso Spiritu Sancto sub specie columbæ, dicere Johannes potuit: Hoc est Spiritus Sanctus. Quod Levit. XIIX. 14. dicitur, Sangvis est anima, id explicatius dicitur vers. 11. Anima est in sangvine. Et sic quoq; explicant Veteres, quorum hæc sunt: *Cum illis rebus, quæ videntur, simul adesse creditur corpus & sangvis Christi: Id, quod est in calice, id est, quod fluxit de latere Christi: sangvinem Christi sub vini*

specie

specie & sapore potamus. Nec alia mens Luthero, quando Synecdochen inesse verbis Testamenti dicit. Non enim figuram in animo habuit vel Rhetoricam vel Grammaticam, sed συνεκδοχὴν sive complexionem esse in subjecto Hoc censet. Rectissime. Nam τὸ Hoc duo complectitur, unum in casu recto, alterum in casu obliquo, adinstar terminorum concretorum, v.g. cum dico, homo est albus, τὸ albus duo importat, subjectum & formam accidentalem. Et quia id, quod in casu recto est, idem est cum subjecto enunciationis, inde vera hæc est enunciatio, Homo est albus. In omni enim vera propositione copula identificat prædicatum cum subjecto, nempe quantum ad id quod est in casu recto, non autem, quantum ad id, quod est in casu obliquo. Neq; enim dicere possum: Homo est albedo. Sic in præsenti negotio, Hoc est corpus meum, τὸ Hoc duo complectitur, unum in casu recto, alterum in casu obliquo. In casu recto importat ipsum corpus, in obliquo panem, hoc sensu: Id quod cum pane accipitis, comeditis, est corpus meum. Eadem est ratio in vulgatis exemplis, si quis dicat, porrecto alabastro, Hoc est unguentum, porrecto poculo, hoc est vinum &c. In his exemplis τὸ Hoc duo involvit, unum in casu recto, contentum nempe, alterum in casu obliquo, nempe continens, hoc sensu. Id contentum, quod est in alabastro est un-

guentum, Id quod est in poculo, est vinum. Hoc autem modo & non aliter esse accipienda Verba Institutionis immotè demonstramus. Ubicunq; τὸ Hoc ponitur substantivè, ibi vel accipitur neutraliter & efficit propositionem identicam, ut cum dico, Hoc est calamus scriptorius, hoc est atramentum, vel accipitur complexivè. At prius dicere nequeunt adversarii, nisi deserto Calvino malint sequi Carolstadium. Manet ergo posterius. Tertium non datur.

§. 3. *Vera præsentia corporis & sanguinis Dominici probatur* I. Ubi & quomodo esse vult Christus præsens, ibi & potest esse & est præsens. Est enim homo Christus DEUS, cui nihil impossibile Luc. I. 37. Atqui in sacra cœna vult esse corpus suum præsens & distribui cum elemento panis, ut edatur. Ergo est præsens. Minor probatur. Nulla enim res distribui potest, ut ore manducetur, nisi quæ præsens sit sua substantia. II. Sine cujus substantiali præsentia calix Eucharisticus non est Novum Testamentum, illius præsentia substantialis requiritur in actione sacræ cœnæ. At sine Christi sangvine calix Eucharisticus non potest esse Testamentum Novum. Ergo sangvinis Christi substantialis præsentia requiritur in actione sacræ cœnæ. Fac enim satis esse, si dicatur, in figura adesse sangvinem Christi in Cœnæ sacramento, ilico sequetur, calicem Veteris Testamenti

Exod.

Exod. XXIV. esse calicem Test. Novi. III. Cujus corporis rei fiunt, qui indigne illud manducant, eo quod contra corpus illud peccent, id oportet præsto esse in eo loco, ubi sacra cœna celebratur. At indigni rei fiunt corporis Domini. Vide §. 9. Ergo necesse est, corpus Domini in eo loco præsens esse, ubi sacra cœna administratur. IV. Per quod Christus ad nos venit, ut per illud in terris testificetur, id quoq; revera præsens est in terris. At per sanguinem Christus ad nos venit, ut per hunc in terris testificetur I. Joh. V. 8. Ergo oportet Sangvinem revera apud nos præsentem esse. Nota, præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna non esse localem & humanam, neq; definitivam & angelicam, sed esse divinam & sacramentalem, qua Christus corpore & sanguine suo præsens est pani & vino Eucharistico.

§. 4. Unio Sacramentalis sive conjunctio panis & corporis Christi, vini item & sangvinis Christi confirmatur I. ex verbis Christi dantis cum pane corpus suum: quæ autem reali exhibitione conjunctim dantur, ea etiam sunt conjuncta & unita certa ratione. II. ex Paulo, qui I. Cor. X. 16. panem dicit esse κοινωνίαν corporis Christi. Eorum autem, quæ realiter unita non sunt, unum alterius κοινωνία per modum realis exhibitionis & acceptionis esse nequit. Cœterum unio hæc non est personalis, neq; accidentium panis cum cor-

pore Christi, neq; σχετικὴ sive relativa inter panem & corpus absens, nec est mixtio panis & corporis, qualem credidisse post palinodiam dicitur Berengarius, nec est consubstantiatio sive impanatio, hoc est, localis coexistentia duarum substantiarum panis & corporis Christi in eodem loco Physico, sed est unio sacramentalis determinata ad integram actionem sacramentalem, non tantum ad consecrationem, verum etiam ad distributionem & acceptionem. Rectè Salmasius lib. de transsubst. pag. 509. *Non est hæc consubstantiatio vel συνουσία, & perperam inde συνουσιαστὰς vel consubstantiatores plerique nuncupant. Συνουσία esset, si ex duabus substantiis unam mixtam & temperatam facerent, aut si duas substantias in uno loco ponerent. Sic συμψυχία est cum veluti una anima duo corpora reguntur κατὰ σχέσιν καὶ ἀγάπην. Ita & συναστρία dicitur duorum, qui unum habent nativitatis suæ horoscopum, & sub eadem constellatione geniti sunt. Ita consubstantiatio vel συνουσίωσις est duarum substantiarum velut in unum commixtio, non id vero est, quod sentiunt Lutheri sectatores, qui duarum substantiarum duobus suppositis distinctarum coexistentiam statuunt. Quæ συνύπαρξις est potius duarum οὐσιῶν quàm συνουσία vel συνουσίωσις.*

§. 5. Hujus unionis causa efficiens sunt verba Christi testamentaria, quibus elementa panis

nis & vini consecrantur. Nota, consecrationem in cœna esse geminam. Fit enim primo benedictio precibus & recitatione orationis Dominicæ, qua benedictione destinantur elementa ad sacrum usum. Hujus benedictionis fundamentum est in Verbis institutionis, ubi dicitur Christus gratias egisse. Deinde alia est benedictio, qua fit unitio rei cœlestis cũ terrena, quæ fit per verba Christi testamentaria. Atq; hæc consecratio à Ministro facta per verba Christi testamentaria, non tantum est recitativa, sed est operativa unionis sacramentalis juxta sensum verbis dispositivis contentũ. Interim consecrationis efficacia nõ dependet à pronuntiatione sive recitatione Ministri quâ tali, sed à Verbis Christi respectu divinissimi, quem continent, sensus spectatis. Adeoq; sicut in prima creatione Verbum DEI, crescite, statim vim suam exseruit, hodieq; efficaciam suam obtinet: Sic & verborum Christi in prima cœna prolatorum durabit efficacia ad finem mundi. Cæterum sicut consecrationis efficacia non est simpliciter absoluta, sed hypothetica requirens cæterorum actuum ut distributionis & manducationis succedaneam conjunctionem in unâ numero actione sacramentali, ita unio rei cœlestis cum terrena non est permanens sed transitoria, hoc est, tamdiu durat, donec finita est integra actio sacramentalis, cujus simile exemplum est in Baptismo. Dominus enim non dicit prius esse præsto suum corpus quam in

manducu-

manducatione: neq; enim dicit, hoc est corpus meum, manducate, sed edite, hoc est corpus meum.

§. 6. Utraq; species requiritur ad integritatem Sacramenti, adeoq; illi qui comedunt tenentur & bibere. Id enim exigit identitas subjectorum: nam quibus dictum est, edite, illis etiam dictum est, bibite. deinde id flagitat identitas emphaseos, qui est in imperativis, edite, bibite: utriusq; enim imperativi eadem est vis Tertio id flagitat τὸ ὡσαύτως 1. Cor. XI. 25. quod partem cœnæ utramq; conjungit, & demonstrat, unam esse utriusq; rationem, & ex utriusq; conjunctione cœnam sacramentalem constare, prout alias ad cœnæ communis rationem & cibus & potus requiruntur. Dices: Christo in illa cœna rem fuisse cum Apostolis, qui erant Sacerdotes, nec licere ab exemplo Apostolorum ad quosvis laicos concludere. Respondeo, Apostolos tunc non fuisse conficientes. At secundum praxin adversariorum Sacerdotum non conficientium & laicorum eadem ratio. Adde, quod, quicquid tunc fecerunt Apostoli, id non adæquatè de personis Apostolorum intelligendum, neq; tantum ad Apostolorum successores in ministerio, sed ad omnes communicantes, cujuscunq; sint ordinis, sit extendendum. Hoc enim evincit authoritas Pauli I. Cor. XI, 24. seqq. extendentis ad laicos quoq;

quoq; mandatum Christi & obsequium Apostolorum. Quod si laici in persona communicantium Apostolorum non comprehenduntur, utiq; nec in priori Cœnæ parte comprehendi possunt, sequiturq; cœnam dominicam neutra sui parte ad laicos pertinere.

§. 7. Sacramentalis manducatio & bibitio fit ore, estq; oralis, non qua modum, sed qua organon. Nam 1. quo organo jussit dominus panem & vinum eucharisticum accipere, illo etiam jussit accipere corpus & sangvinem suum. At ore corporis jussit accipere panem & vinum eucharisticum. Ergo etiam ore corporis jussit accipere corpus & sangvinem suum. 2. Quod organum est commune dignis & indignis, illo accipitur corpus Christi. Ad tale est os corporis, Ergo. Nota, sacramentalem manducationem esse unam & indivisam actionem, qua panem simul & corpus Christi participamus; utrumq; enim conjunctum est adæquatum manducationis objectum. Dices: si propriè & ore corporis accipitur Christi corpus, utiq; atteretur, consumetur &c. Respondeo verbis Chamieri Tom. IV lib. XI. cap. XI. num. 13. *Multa viva & integra propriè comeduntur. Sic non methaphoricè Jonam Cete devoravit & pisces minores integri comeduntur. —— Nec sequitur mors, nisi ubi sit concoctio & digestio, qui finis est proprius comedentium: Sed*

ita

ita proprius tamen, ut per accidens posit esse nullus. Nam nec Jonas vitam amisit, etsi verè & propriè devoratus: & pisces integri in intestinis aliorum reperti vivi educi sæpe possent, si id maturè fieret. Hæc ille. Accipiuntur ergo voces manducandi, bibendi propriè proprietate significationis Grammaticæ, non autem proprietate modi, qui hic est hyperphysicus & inusitatus. Quod ut melius pateſcat, notandum, unius indivisæ manducationis modum duplicem esse, physicum, quo editur panis, & hyperphysicum, quo cum pane editur Christi corpus. Facessat ergo Capernaismus.

§. 8. Etiam indigni ore edunt corpus & bibunt sangvinem Christi. Panis enim domini non est nudus panis. Atqui indigni accipiunt panem. Non ergo accipiunt nudum panem, sed cum pane ipsissimum corpus Christi. Confer exemplum Judæ. Deinde pro quibuscunq; Christus dedit corpus suum & fudit sangvinem, iis etiam instituit corpus & sangvinem dare in sacra cœna. Atqui etiam pro indignis & infidelibus dedit Christus corpus suum. Ergo. Deniq; indigni rei fiunt corporis & sangvinis Christi I. Cor. XI. 27. Ubi nota τὸ ἔνοχον sive reum fieri cum Genitivo significare vel respectum ad peccatum, (ut cum dico, reus est adulterii) vel respectum ad pœnam, vel deniq; illum denotare, qui rem aliquam violat eamq; injuria afficit Jac. II. 10. Sic, cum impii

Impii dicuntur rei fieri corporis & sangvinis Christi, non respectus ad peccatum nec ad pœnam sed ad rem ipsam implicatur, quæ violatur, & cujus violatione reatus sive obligatio ad pœnam contrahitur.

ANTITHESIS

Continens rejectionem

§. 1. Eorum, qui sedem fundamentalem articuli de sacra Cœna esse volunt caput Johannis sextum. Quales sunt Pontificii & Calviniani pleriq; Pleriq; inquam: Calvinus enim ipse & Martyr, itemq; Chamier cap. VI. Johannis de Sacramentali manducatione non accipiunt, sed de spirituali. Et hoc probatur multis rationibus, inter quas præcipuæ sunt istæ duæ. I. Quia sacra cœna demum instituta est ea nocte, qua traditus est Christus. II. Quia manducatio, quæ describitur Joh. VI. nemini cedit ad damnationem: at sacramentalis cedit nonnullis ad damnationem.

§. 2. Eorum, qui dicunt, verba Institutionis non esse literaliter explicanda. Quales sunt Calviniani (hos sequuntur Arminiani, Sociniani, Anabaptistæ &c.) qui moveri se ad hanc sententiam fatentur absurdis, quæ ex literali expositione fluunt. Qualia sunt 1. impanatio 2. localis delitescentia corporis Christi in pane 3. corporis multiplicatio 4. Capernaitica manducatio 5. sangvinis Christi à corpore naturalis separatio 6. sublatio

latio proprietatum humanarum corpori Christi debitarum v. g. ℈ habere partes extra partes, esse quantum, locale, visibile, figuratum, tactile 7. positio proprietatum antiphysicarum v. g. ℈ infiniti &c. Sed scrupuli non sunt scopuli. Nos enim non docemus impanationem, non localem occultationem sive deliteſcentiam in pane, non corporis multiplicationem, non Capernaiticam manducationem, sicut hactenus dictum, & ex verbis Institutionis evictum, quibus non debent cœcæ rationis absurda commenta opponi. Neq; nos personaliter & naturaliter separamus carnem à sangvine: totus enim Christus est sub una specie præsentiæ modo personali, qui naturas unitas, & naturali, qui partes unitas respicit, sed non sacramentali. Quod attinet proprietates veri corporis, distigvimus inter proprietates essentiales atq; intrinsecas & extraessentiales atq; extrinsecas. Has separari posse docet Christus Matt. XIX. 24. 26. ubi ostendit, possibile esse DEO, ut camelus transeat per foramen acus. Dicimus ergo, Corpus Christi habere partem extra partem, adeoq; partium certum ordinem ad invicem & intrinsecè, sed negamus habere ordinem partium extrinsecè ad locum. Illud enim competit corpori intrinsecè: hoc autem competit corpori, quatenus est situatum & locatum actu secundo. At secundus actus locationis, visionis

sionis, tactionis potest abesse à corpore Luc XXIV. ut interim maneat corpus actu primo visibile, tactile & in certo πῆ collocabile. Idem dicendum de quanto & figura. Corpus Christi est & manet quantum, hoc est, habet extensionem intrinsecam & extrinsecam aptitudinalem partium ad invicem, habet item figuram, hoc est, dispositionem extremitatis partium totius corporis conjunctam cum aptitudine ad extensionem localem. At quatenus figura extrinsecum dicit respectum ad locum sive locationem actualem, eatenus potest à corpore abesse. Denique falso nobis affingitur, quasi statuamus corpus Christi infinitum. Manet illud finitum, etiamsi per omnipotentiam DEI modo inscrutabili in multis Ubi ponatur. Omnia enim Ubi, in quibus ponitur Corpus Christi, sunt finita, neque efficere possunt Ens infinitum.

§. 3 Eorum, qui negant substantialem corporis & sangvinis Christi præsentiam in Cœna. Quales sunt Calviniani cum sequacibus, statuentes corpus Christi esse præsens 1. repræsentativè & relativè per relationem signi ad signatum 2. objectivè, dum fides apprehendit corpus Christi 3. effectivè & operativè, quatenus corpus Christi præsenter operarur in sacra cœna. Sed hi modi alieni sunt à mysterio sacræ cœnæ & pondus verborum Institutionis non exprimunt. Quod enim

attinet repræsentativam sive relativam præsentiam, quæ est signi ad signatum, refutatur ea verbis Christi, accipite, edite, hoc est corpus meum. Objectiva præsentia non est realis, sed intentionalis, per quam res cogitata animo cogitantis præsens est. Neq; fides causare potest præsentiam corporis Christi in cœna, sicut pluribus demonstratum est Exercitatione Anti-Calvin. de Sacræ Cœnæ mysterio. Sicut enim scientia non est causa rei scibilis, sed vice versa res scibilis est causa scientiæ, ita res per fidem apprehensa causa est fidei, non autem vice versa. Deniq; præsentia tantum operativa pugnat cum verbis Institutionis modo allegatis, pugnat cum manducatione indignorum. Objiciunt adversarii exemplum solis operantis in terra, non tamen ibi præsentis. Frustra. Si enim radii solares, per quos sol operatur, in terris sunt præsentes, multo magis corpus illud, per quod DEUS operatur, in terris præsens erit.

§. 4. Eorum, qui unionem statuunt tantum relativam, quales sunt Calviniani, cum sequacibus, constituentes hujus unionis naturam 1. in analogia panis & corporis Christi 2. in obsignatione corporis Christi per panem 3. in beneficiorum corporis Christi per panem exhibitione & confirmatione. Verum analogia illa in cœna nihil relinquit præter nudum panem. Obsignatio autem corporis Christi per panem, quia exhibitione

bitione est destituta, nulla est. Aliàs concedere possumus in cœna esse quandam signandi rationem, eamq; geminam, ratione alterius partis nempe terrenæ & visibilis, quæ signat, nec signat tantum, verum etiam exhibet rem invisibilem; & ratione utriusq; partis terrenæ sc. & cœlestis, cujus signatum est Sacramenti fructus. Cæterum vana est Calviniſtica obsignatio tum corporis tum beneficiorum corporis Christi. Nam obsignabit aut ipsa beneficia sive fidem quæ creditur, aut fidem, qua creditur. Sed beneficia ipsa tantum electorum sunt, & nisi scias te esse electum, applicatio promissionum divinarum individualis una cum obsignatione non intuta tantum, sed & frustranea erit. Porro fides qua creditur seu quæ credit aut nota tibi erit, aut ignota. Si jam de ea constat, obsignatione nihil opus est persvaso de gratiæ divinæ & fidei natura indimissibili & indefectibili penitusq; fatali. Quod si fidem te habere nescis, obsignatio irrita & nihili erit. Sigilla enim fidem non efficiunt, sed præsupponunt.

§. 5. Pontificiorum, qui propè magicam vim inesse credunt illis verbis: *Hoc est corpus meum*. Nempe consecratio Pontificiorum toto cœlo distat à consecratione, quam nos tuemur & observamus. Nam 1. Pontificii verba, hoc est corpus meum, statuunt habere vim & efficaciam suam, vel quatenus pronunciantur vel quatenus virtu-

tem quandam mutandi symbola externa in corpus & sangvinem Christi continent. Nos autem dicimus, consecratoria verba benedictionis officio fungi, quæ geminum respicit finem, διακριτικὸν, ut discernatur panis sacramentalis ab alio vulgari pane, & εὐκτικὸν, ut nos DEUS dignos efficere hospites velit: præsentiæ vero corporis Christi in cœna negamus consecrationem esse causam, quippe quæ non alia est, quam vis & efficacia institutionis Christi. 2. Pontificii effectum consecrationis dicunt esse transsubstantiationem & unionem permanentem. Nos autem dicimus esse unionem Sacramentalem & transitoriam. Malè Bellarm. lib. 4. de Euch. cap. 1. *Martinum Bucerum primum fuisse dicit, qui statuerit Sacramentum Eucharisticum non esse permanentem sed transeuntem actionem, & idem persvasisse Luthero.* At Lutherus longè ante in libro de captivitate Babilonica, id docuerat, idq; ex authoritate verborum Institutionis. Deniq; Pontificii dicunt consecrationem destinari ad oblationem corporis & sangvinis Christi & consumtionem elementorum externorum, atq; sub iis elementis præsentis corporis & sangvinis Christi talem, quæ fit à consecrante Sacerdote, quatenus sacerdos est, ita ut habeat illa manducatio & bibitio rationem quandam mactationis per realem consumtionem corporis & sangvinis dominici in speciebus panis & vini. At

nos

nos consecrationem tantùm dicimus destinari ad Sacramentalem participationem communicantium. Nostra sententia innititur claritati verborum Christi & Pauli: adversariarum glossarum ibi nec vola nec vestigium apparet.

Nam in specie quod attinet transsubstantiationem, cum consectariis, assèrvatione, circumgestatione Sacramenti & circumgestati adoratione, hæc omnia tam inepta sunt, ut nec scripturis nec genuinæ antiquitati, imò nec sanæ rationi conformia sint. Non cum scripturis convenit transsubstantiationi: hæ enim etiam post consecrationem panem vel quinquies dicunt in ipso usu adesse, frangi, manducari, quæ de panis speciebus accipi litera vetat. I. Cor. X. 16. & XI. Adversarii hic ad metaphoras & metonymias recurrere solent, & vocem panis exponere metaphoricè vel metonymicè, sed meminerint, quàm in Calvinianos Tropososphistas invehi soleant, & dediscant deserta litera evidenti & clara ad tropos recurrere, potissimum, cum in verbis institutionis non inveniatur transsubstantiatio, fatente Scoto, Occamo, Biele, & verba institutionis salva maneant salvo manente pane: deniq; non litera tantum sed & odor, corruptio, inebriatio I. Cor. XI. 21. verum panem verumq; vinum post consecrationem remanere clament. Non est genuinæ antiquitati conformis transsubstantiatio. Quanquam enim

utantur Patres vocibus μεταβολῆς, μεταποιήσεως, μεταστοιχειώσεως, quomodo etiam ipsa scriptura, cum dicit hominem regenerari, fieri novam creaturam, mutationem supernaturalem describere solet, quasi esset substantialis, tamen mutationem substantialem, sive mutationem unius substantiæ, quæ substantialiter esse desinat, in aliam, quæ substantialiter esse incipiat, eos non intelligere sufficienti indicio est, quod *panem esse quod erat, nec recedere à sua natura, nec desinere esse substantiam panis* aperte asserant. Quorum primum Ambrosii est lib. IV. de Sacram. cap. 4. (vid. cap. Panis SS. de Cons. d. 2.) secundum Theodoreti dial. II. fol 369. tertium Gelasii (sive is Gelasius Papa sit, sive non sit, perinde est) lib. adv. Eutych. & Nest. Deniq; sanæ rationi repugnat transsubstantiatio. Hæc enim dicit mutationem unius substantiæ in aliam, sic ut una desinat esse & altera demum incipiat esse. Unde sequitur, corpus Christi prius non fuisse. Quod absurdum adversarios cogit, ut transsubstantiationem dicant esse non productivam, sed adductivam. At hæc non est transsubstantiatio sive mutatio substantialis, sed motus localis, ut incipiat corpus Domini (non, esse simpliciter, sed) esse in aliquo πῷ, in quo prius non fuerit. Adde, si panis transsubstantiatur, requiri communem materiam, quæ prius panis, & postea corporis Christi formam sustentat,

tat, sicut ex miraculosis conversionibus aquæ & vini, baculi & serpentis manifestum est. Adversariorum autem transsubstantiatio nihil quod est in pane relinquit, adeoq; est panis annihilatio, conjunctum habens ex parte corporis Christi motum localem adductivum. Sed hæc de transsubstantiatione sufficiant. Asservatio Sacramenti ejusq; delatio ad ægrotos, neq; Christi verbis neq; praxi Apostolorum congruit. Christus enim & Apostoli in loco privato consecrarunt, consecrationemq; cum distributione conjunxerunt. Consvetudinem Christi & Apostolorum nos sequimur: aliorum quantumvis vetustiorum consvetudines sequi, minus tutum est. Notæ enim sunt consvetudines veterum malæ circa Eucharistiam, quales erant, mos Eucharistiam domum deferendi, porrigendi eam infantibus, defunctis, mos item contumulandi hostiam: quæ consvetudines nec ipsis adversariis probantur. *Semper quærendum est, an, qui prior est omnibus, Christus ita fecerit docueritue*, ut recte Cyprianus in controversia sua Eucharistica docet lib. 2. epist. 3: & addit: *Consvetudo, quæ apud quosdam obrepserat, impedire non debet, quo minus veritas prævaleat & vincat. Nam consvetudo sine veritate vetustas est erroris, propter quod relicto errore sequamur veritatem.* Circumgestatio Pontificia planissimè à fine Cœnæ Dominicæ exorbitat, neq; ullum in-

scripturis vel leviſſimum obtinet fundamentum. Quin antiquitati plane incognita eſt hæc circumgeſtatio, fatentibus adverſariis, Urbanum IV. ſolennem proceſſionem in feſto corporis Chriſti inſtituiſſe. Vixit autem Urbanus ille ſeculo demum decimo tertio. Quanquam nec ab Urbano in feſti illius diſpoſitione ulla fiat mentio hujus circumgeſtationis. *Certum eſt*, inquit Caſſander in Auguſt. Confeſſ. pag. 179. *Feſtum illud non ad circumgeſtationem inſtitutum, ſed ad celebriorem conventum, & ut homines per pietatis opera ita ſe præpararent, quo hujus pretioſi Sacramenti eo die participes fieri, atq; ipſum reverenter ſuſcipere mereantur. Ita enim habent verba decreti.* Hæc ille. Deniq; pereunte circumgeſtatione peribit etiam adoratio Sacramenti in circumgeſtatione. Imo nec adoratio Sacramenti ut ſic, toleranda: Sacramentum enim Euchariſtiæ duabus conſtat rebus, terrena & cœleſti. Poſito autem, ſaltem remanere ſpeciem, non tamen illa adorari poterit. Neq; valet, quod dicunt adverſarii, adorationem λατρείας ad Symbola panis & vini pertinere, quatenus apprehenduntur, ut quid unum cum ipſo Chriſto, quem continent. Valeret illud, ſi Chriſti corpus & panis unum facerent ſuppoſitum. Alias quævis unio non inducit illam adorabilitatem. Nam & Chriſtus eſt in piis, qui cum Chriſto unum quid ſunt, neq; tamen

men adorari possunt per λατρείαν ullo modo. Alias fatemur Christum adorari posse & debere in Sacramento, ut nempe extra intuitum symbolorum (quod satius est) mens elevetur ad Christum, ejus mors annuncietur, eiq; pro omnibus beneficiis gratiæ agantur.

Sacrificium Missæ quod concernit, falsissimum est, actionem sacrificandi, quam in Ecclesia peragunt presbyteri, quà rationem sacrificii formaliter accepti, eandem esse specie cum illa actione sacrificandi, quam in cruce peregit Servator. Id quod vel sola distinctio cruenti & incruenti sacrificii evincit. Hæc enim non re, sed nomine solo conveniunt. Est enim sacrificium propriè dictum immolatio animantis facta in DEI cultum & obsequium juxta DEI voluntatem & præscriptum. Tale sacrificium est in Missa, sed non est Missa. Vide CL. Calixti Exercit. de sacrificio Christi semel in cruce oblato & initerabili, ubi docet, impropriè idq; multis modis Eucharistiam posse vocari sacrificium, inprimis, si sacrificium materialiter accipiamus. Tum enim dicendum, idem numero sacrificium, quod fuit in cruce, esse quoq; in Eucharistia, eandem nempe hostiam sive victimam, quam præsentem in Missa precibus Deo Patri offerimus, hoc est, DEUM Patrem per Christum Christiq; mortem & meritum obtestamur atq; precamur. Et ad hoc sacrificium re-

ſpiciunt ſeparata conſecratio, ſeparata datio, & ſeparata ſumtio corporis & ſangvinis Chriſti, forma item verborum, quibus Chriſtus diſtribuit ſangvinem, ſub mentione effuſionis & Novi Teſtamenti, quibus omnibus repræſentatur oblatio facta in cruce & mors Chriſti. Illa autem oblatio, quam fingunt Pontificii, in verbis Inſtitutionis nuſpiam comparet, imo iisdem repugnat. Non enim poteſt offerri corpus Chriſti priusquam pronunciata ſint verba, *Hoc eſt corpus meum*, eo quod per hæc verba fiat præſentia Chriſti in cœna ſecundum adverſarios. Illa autem verba dixit in ipſa diſtributione. Ergo ante illam diſtributionem non potuit Chriſtus ſuum corpus Patri offerre, ſicut ipſi quoq; fatentur adverſarii, qui inſuper nec dicunt nec dicere poſſunt, poſt diſtributionem & diſtributioni inſertam pronunciationem verborum illorum factam eſſe oblationem corporis Chriſti ad Patrem. Dices: 1. Sacrificaſſe Chriſtum conſecrando & conſumendo 2. ſacrificium eſſe in illis verbis: Quod pro vobis traditur. 3. & in illis: Hoc facite in mei commorationem. Reſp. ad 1. aliud eſt conſecrare & conſumere, aliud offerre. Illud enim ſine hoc eſſe poteſt ut Matt. XV. 36. Et ſi res ita habet, nihil in noſtra miſſa deſiderare poterunt Pontificii, quia nos & conſecrationem & conſecrati conſumtionem retinemus. Ad 2. traditio non alia intelligitur,

gitur, quam quæ facta est in mortem, sicut effusio loquitur de sacrificio peracto in cruce. Sed nulla est sequela: Idem numero corpus, quod in mortem traditum est & idem numero sangvis, qui effusus pro nobis est in cruce, est in Eucharistia. Ergo Eucharistia est sacrificium formaliter tale. Ad 3. τὸ hoc refertur ad præcedentia. Si ergo Christus non sacrificavit, ut hactenus evictum & alias per se patet, neq; nostri presbyteri sacrificant in cœna. Quæ de Melchisedeco opponunt, nimis longè petita sunt & diluuntur ab ipso Apostolo Ebr. VII. 1. seqq. 27. IX. 38. X. 14. 18. Rom. VI. 9. Quin etsi ponatur, Melchisedecum sacrificasse in pane & vino, quod tamen textui adversatur, nec probari potest, non tamen inde sequetur, Christum itidem sacrificasse in pane & vino. Quia non est eadem per omnia ratio typi & antitypi. Neq; adversarios juvat locus I. Cor. X, 18. seq. ibi enim neq; missæ neq; sacrificii aut oblationis in Eucharistia mentio fit. Fit quidem mentio oblationis gentilium, sed non est necessum, ut argumentatio ab exemplo requirat convenientiam exemplorum in eadem specie, sufficiat similitudo & convenientia generica. Multo minus causam adversariorum juvat locus Act. XIII. 2. Nam λειτουργεῖν non semper significat sacrificium, ut manifestum est. A particulari autem male fit illatio. Adde quod Apostoli nihil aliud

fece-

fecerunt, quam quod eos facere Christus jussit, suoq; exemplo præivit. Paulus certè nullam oblationis mentionem facit I. Cor. XI. Alii quoq; Apostoli *administrarunt Cœnam non nisi recitando verba Institutionis & orationem Dominicam* teste Gregorio (qui id ex Hieronymo tradit) lib. VII. Epist. 63. Cæterum corruente Missæ sacrificio, corruunt quoq; Missæ solitariæ, in quibus non sunt communicantes. Notanter Bellarminus lib. II. de Missa cap. IX. *Etiamsi*, inquit, *nusquam expressè legamus, à veteribus oblatum sacrificium sine communione alicujus, vel aliquorum præter ipsum sacerdotem, tamen id possumus ex conjecturis facilè colligere.* Meræ conjecturæ meræ sunt impostura. Adde quod Canoni Missæ repugnent, in quo verba multitudinis notabilia, *offerimus, sumserimus, replemur*, neq; ipsi Concil. Trid. sess. XXII. can. 8. factis probentur. *Optat enim, ut in singulis Missis fideles astantes etiam sacramentali Eucharistiæ perceptione communicent, non autem communicent soli sacerdotes.* Quod autem dicunt adversarii Eucharistiam prodesse etiam non communicantibus non vivis tantum, verum etiam defunctis, id sine scripturis dicunt, & ob id eadem facilitate rejicitur à nobis, qua ab illis asseritur. De Antiquitatis in hoc puncto sensu videatur CL. Calixti Exercit. supra cit.

§. 6. Eorum, qui negant, fideles laicos teneri

è cali-

è calice quoq; bibere. Quales Pontificii, propugnantes communionem sub una. Non autem hic quæritur de facto, sed de jure. Nec quæritur, quid olim hæretici Manichæi fecerint, nec quid alii fecerint privatim & in privatis ædibus. Certum enim est in solennibus publicisq; Ecclesiæ conventibus & panem & calicem populo fideli olim præbitum semper fuisse. Id quod nec ipsi adversarii negare debent, quippe qui nihil solidi nihilq; certi in contrarium afferre possunt. Dicunt instituisse quidem Christum sacram cœnam sub utraq; specie, sed non mandasse communionem sub utraq;, sicut DEUS instituit quidem conjugium, sed non mandavit id omnibus. Verum sermo jam est de ritu sacramentali, non de statu. Et notandum institutionem respicere rem quæ instituitur, mandatum vero & rem & personas. Sic instituit DEUS matrimonium, prædicationem Evangelii & administrationem sacramentorum, etsi non addamus, quos voluerit DEUS matrimonium contrahere, prædicare Evangelium, Sacramenta administrare. Quod si adjicias institutioni personam, tum institutio eadem prorsus est cum præcepto. Si enim dicas, instituit DEUS, ut, qui aliter se continere non possunt, matrimonium contrahant, perinde est ac si dicas: mandavit DEUS, ut tales matrimonium contrahant. Item instituit DEUS, ut qui facultate pollent per Spiritus gratiam

tiam & ab Ecclesia vocati sunt, prædicant Evangelium, hic τὸ instituit idé est, quod mandavit. Quæ in contrariũ urgent Pontificii, levia & nugatoria sunt. Qualis est concomitantia, quæ tamen per ipsas hypotheses Papisticas sufficienter evertitur. Quantum enim transsubstantiatur, tantum sumitur. At ex pane non nisi corpus conficitur & transsubstantiatur ex hypothesi Papistarum. Ergo sub pane non nisi corpus sumitur. Deinde vi verborum & institutionis non est nisi sub pane corpus ex hypothesi Papistarum. E. sub pane non datur sanguis. Est quidem totus Christus sub una panis specie modo præsentiæ personali (respiciente unitas naturas) & naturali (respiciente unitas partes, animam & corpus) sed non sacramentali. Deniq; nulla concomitantia est inter panem & vinum, quod tamen non minus ac panis ad integritatem Sacramenti requiritur.

§. 7. Calvinianorum, Anabaptistarum, Socinianorum, Arminianorum, qui ore negant accipi corpus Domini. Atqui id organon Christus in verbis Institutionis definivit. Paulus κοινωνίας corporis Christi organon esse dicit panem, qui ore editur. Consentiunt veteres. Nempe differunt organa manducationis sacramentalis & spiritualis, accipiendo vocem spiritualis, quà opponitur manducationi orali, non quà opponitur manducationi physicæ: sic enim sacramentalis quoq;

spiri-

spiritualis est. Organon manducationis sacramentalis est os: spiritualis fides.

§. 8. Calvinianorum &c. qui negant, indignos, impœnitentes & incredulos ore comedere Corpus Christi. 1. Objiciunt, impios non esse hæredes 2. non manere in Christo 3. esse in societate demoniorum excludente societatem Christi 1. Cor. X. 21. deniq; accipere opus mortuum, destitutos quippe fide. Resp. ad 1. impios hæredes esse secundum intentionem DEI & voluntatem antecedentem, quamquam actu & voluntate consequenti exhæredentur ob incredulitatem & inobedientiam. Ad 2. etiamsi non maneant in Christo, nec ei uniantur ob incredulitatem sive defectum spiritualis manducationis, hoc tamen non obstat manducationi sacramentali. Non sequitur: impii accipiunt Christi corpus, Ergo cum Christo uniuntur, sicut non sequitur: in impiis est Deus, Ergo cum Deo uniuntur, respersi sunt Christi sangvine carnifices, Ergo cum Christo fuere uniti. Ad 3. non loquitur Apostolus de omnimoda ἀδυναμία. Confer Gen. XXXIV. 14. Deut. XVI. 5. Act. IV. 20. Nec loquitur de facto sed de jure. Nempe scopus Apostoli est deterrere eos, qui Idolothytis vescebantur, & diabolicis Ethnicorum cultibus communicabant, ac nihilo minus ad mensam Domini accedebant, ostendendo, eos corpus Domini sum-

ma-

ma contumelia afficere. Quod si Christi corpus non accipiunt infideles, perit nervus: fidei quippe nullus est abusus. Ad 4. Alia ratio est operum legalium, quæ sine fide sunt mortua, & organorum gratiæ, quæ media sunt ad vivificandum ordinata. Quorum natura vivifica manet, etsi vivificationis actus secundus per incredulitatem intercipiatur.

Præstantißimo & Eximio

Dn. PHILIPPO REIMARI,

de SS. DN. COENA *Respondenti*

S.P.P.

PRofit cæna tibi, REIMARI, Academica, profit!
Es satur egregia cognitione DEI.
Insuper & jentacula lingvarum optima nactus,
Et Sophiæ in mensa sat bene pransus eras.
De Domini JESU benedicta dissere COENA,
Auroram sic mox experiere DEI.

Boni ominis & voti mnemosynon ſ.

Joh. Georg. Dorscheus,

Argentorat. D.

IN FORMULAM CONCORDIÆ EXERCITATIO OCTAVA DE PERSONA CHRISTI.

Quam

DEO DUCE

Comprobante plurim. REVERENDA FACULTATE THEOLOG.

Sub Præsidio

Viri Admodum Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi,

DN. CASPARI MAURITII,

SS. Th. D. & P. P. longè Celebratissimi, Past. ad D. Mariæ nec non Eccles. Rost. Superint. gravissimi, Mœcenatis ac Promotoris sui magni.

Placidæ Eruditorum ventilationi

Ad d.! Septem.

Subjiciebat

JOACHIMUS CUSTERUS,

Marlov. Meckelb.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII,

Acad. Typogr. Anno 1654.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730401073/phys_0245

DFG

DEO DUCE!

ARTICULUS VIII.

DE PERSONA CHRISTI

Ἀφορμὴ exhibens statum controversiæ.

OCcasio moti de Persona Christi certaminis adscribenda est non Jesuitis tantum & Calvinianis, verum etiam Witebergensibus Theologis, de quibus in initio dictum circa occasionem scriptæ Formulæ Concordiæ. Hi enim docebant, sic in Christo esse unitas naturas duas, ut sint unum ὑφιστάμενον, hoc est, ut gestetur humana natura à λόγῳ, sic ut sint inseparabiles naturæ, & natura humana in nihilum redigatur, nisi sic gestetur. Negabant autem vere & realiter communicasse assumptæ humanitati Filium DEI suam ὑπόστασιν: negabant vere & realiter naturas invicem communicare: negabant deniq; veram & realem idiomatum communicationem. Quæritur ergo, an λόγος vere suam ὑπόστασιν assumtæ humanitati communicaverit; an naturæ sibi invicem communicent; deniq; an communicata realiter sint idiomata, & inprimis an realiter assumtæ humanitati communicata sit gloria infinita?

THESIS.

Quanquam negari nec posſit nec debeat, duas esse in Christo naturas, quarum unaquæq; suas essentiales proprietates inconfusè retineat, tenendum tamen, & λόγον suam hypostasin assumta carni communicasse, & naturas invicem communicare realiter, deniq; communicata quoq; realiter idiomata, atq; ita primùs realiter homini Christo communicatam esse gloriam infinitam, quam quidem homo Christus ab ipso momento incarnationis habuit, sed plenariam usurpationem accepit per sessionem ad dexteram DEI.

§. 1. Duæ sunt in Christo naturæ, divina & humana. Divinam naturam demonstrant divina nomina soli DEO summo competentia, divina attributa, divina opera, divinus cultus. Humanam naturam demonstrant nomina hominis, filii hominis, Filii Davidis, seminis mulieris &c. partes hominis essentiales, anima rationalis & corpus, propriæ hominis affectiones & operationes vitæ naturalis, animalis, rationalis, deniq; infirmitates. Ubi nota infirmitates quatenus habent rationem pœnæ immissæ divinitus (non autem contractæ vitio humano, quales morbi) à Christo esse assumtas, non qua habent rationem culpæ & vitii: humanitas enim Christi sine omni impuri-

tate

tate & imperfectione est. Cæterum naturatum, quæ proprie loquendo contrariæ non sunt, sed differentes, dualitas necessaria fuit ad obeundum officium perfecti Mediatoris & Redemptoris. Quem DEUM esse oportuit, ut iram DEI portare, pretio redemtivo pondus & valorem addere, mala removere, bona reparare & conservare, Ecclesiam defendere & exaudire posset. Hominem vero, ut divinæ veritati & justitiæ satisfieret, natura humana reconciliaretur DEO & plenarie restitueretur, fides nostra & exauditio impetranda ab eo, qui sicut nos tentatus est, absq; tamen peccato, confirmaretur, stabiliretur adoptio, atq; spes futuræ resurrectionis & beatæ immortalitatis nutriretur atq; corroboraretur.

§. 2. Hæ duæ naturæ personaliter sunt unitæ, sic tamen, ut unaquaq; suas proprietates inconfuse retineat. Causa hujus unitionis est tota Trinitas, si respiciamus unitionis actum. Tribuitur autem peculiariter Spiritui Sancto, qui est indissolubile vinculum amoris inter Patrem & Filium, & *DEI digitus Luc. XI. 22. principium sanctificationis* Rom. I. 4. ut insinuaretur, huic peculiariter assignandam unitionem *divinæ* & humanæ naturæ, hujus esse massæ, ex quâ corpus Christi formandum erat, sanctificationem. Si autem respiciamus incarnationis terminum, soli Filio DEI propria est incarnatio, adeoq; sola persona secunda Trinitatis in unitatem personæ humanitatem

assumsit. Atq; hinc fit, ut dicatur virtus Altissimi (quæ est Filius DEI I. Cor. I. 24.) obumbrasse virginem: *umbra* enim *non aliter exprimitur, nisi per lumen & corpus, ideo virtus altissimi dicitur obumbrâsse Virginem, quia in ejus utero lux incorporea corpus sumsit*, quæ sunt verba Gregorii lib. XXXII. Moral. cap. 3. Quanquam vero hæc ita se habeant, non tamen formaliter eadem sunt assumtio carnis in hypostasin λόγε & unio ejus cum λόγω: unio enim est reciproca naturæ utriusq;, assumtio autem propria personæ secundæ Trinitatis. Probatur autem hæc assumtio humanitatis in ὑπόστασιν λόγε, quæ nihil aliud est, quam communicatio ὑποστάσεως λόγε facta carni, locis plurimis scripturæ inprimis Joh. I. 14. *Verbum caro factum est*, hoc est, interprete Damasceno, ὑπόστασις τοῦ λόγε ἀτρέπτως ἐγένετο ὑπόστασις τῆς σαρκός. Neq; dici posset verbum esse caro aut DEUS homo esse in casu recto, nisi eadem esset subsistentia DEI hominis. Gal. IV. 4. *Filium* DEI habes *natum ex muliere*. Unde Maria θεοτόκος, quod nulla ratione dici potest, si non DEUM peperit ipsum, sed hominem tantum à DEO hypostatice sustentatum atq; gestatum. Eb. II. 14. dicitur *Filius* DEI *particeps factus esse carnis & sanguinis, sicut pueri iisdem communicant*. Adde prædicationes cæteras personales, quales sunt, *Germen Davidis est Jehovah*, *Natus ex Maria*

est

est Filius Altissimi, secundus homo est Dominus de Cœlo, quæ omnia vera non essent, nisi eadem persona esset DEUS & homo, adeoq; eadem subsistentia DEI & hominis, ἡ αὐτὴ ὑπόστασις τῆς θεότητος καὶ τῆς ἀνθρωπότητος, ut loquitur Damasc. de O. F. lib. III. cap. 3. 8 Deniq; si humanæ Christi naturæ non est communicata ὑπόστασις Filii, aut nullam humanitas habebit ὑπόστασιν, aut propriam eamq; ab hypostasi Filii DEI diversam. Posterius esse nequit, nisi velimus dicere duos esse Filios cum Nestorio. Nec prius dici poterit: sic enim nec subsisteret, nec cum divina natura constitueret unam personam. Est quidem caro Christi ἀνυπόστατος, quatenus relatè voxilla negativa est propriæ & positiva alienæ hypostaseos: quetenus autem absolute & simpliciter illud dicitur ἀνυπόστατον, quod nec sua nec aliena ὑπόστασιν subsistit, eatenus natura humana Christi non est ἀνυπόστατος, gaudens quippe subsistentia Filii DEI. Subsistentiæ vocem hic non accipimus generaliter, prout opponitur τῷ esse inhærenter in subjecto, sed specialiter pro præstiore illo substantialis existentiæ modo, quo natura completa ultimo determinatur ad incommunicabilitatem, passivam nempe respectu alterius subsistentis, à quo ulterius terminari nequit, eo quod jam sit ultimo terminata. Cœterum facta est unio non personarum sed naturarum in unitate personæ ἀσυγχύτως incon-

fusè, ἀτρέπτως καὶ ἀναλλοιώτως immutabiliter, ἀδιαιρέτως indivisè, ἀδιασπάστως καὶ ἀδιαστάτως indistanter, ἀχωρίστως καὶ ἀδιαλύτως indissolubiter.

§. 3. Sicut Unionis personalis fundamentum est communicatio hypostaseos, de qua dictum, ità illius velut formale est communicatio naturarum, per quam ὁ λόγος naturam humanam intima profundissimaq; περιχωρήσει permeat, perficit, inhabitat. Ad id probandum sufficere potest locus illustris Coloss. II. 9. in quo dicitur πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος κατοικεῖ ἐν χριστῷ σωματικῶς. Ubi ne quis excipiat de persona velut tertio quodam à naturis distincto esse sermonem, manifesta est distinctio inhabitantis DEI & habitaculi naturæ sc. humanæ. Et additio vocis σωματικῶς satis ostendit, non in persona, sed in carne inhabitationem intelligendam esse. Ἐν αὐτῷ, τουτέστιν, ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ inquit Damasc. lib. III. cap. 6. Porro, communicata susibstentia, naturam ipsam communicari necessum est. Persona enim in divinis non est abstracte modus subsistendi, sed est ipsa essentia divina certo charactere hypostatico insignita. Quando ergo persona Filii DEI dicitur incarnata, ipsa quoq; natura divina intelligenda est, non ut communis, sed ut subsistens in persona τοῦ λό-

γου

γ8 Rectè Athanasius in Symbolo unionem personalem esse dicit προσλήψιν τῆς ἀνθρωπότητος εἰς θεότητα, *assumtionem humanitatis in divinitatem.* Unionem hanc & firmant & exprimunt propositiones personales, Homo est DEUS, DEUS est homo. In quibus non tantum subsistentiæ identitas, sed & vera naturarum communio explicatur. Neq; audiendi sunt, qui impropietatem hic defendunt, & terminos homo, DEUS accipi quidem propriè respectu hypostaseos, non autem respectu formarum sive naturarum dicunt. Quali enim modo capiuntur termini in præmissis, tali etiam modo capiuntur in conclusione. At in præmissis hisce: Messias est homo actu primo, Messias est DEUS actu primo, sic capiuntur termini hominis, DEI, ut includatur identitas suppositi & id, quod conceptu hominis, DEI significatur formaliter. Ergo sic quoq; accipiendi in conclusione. Quanquam vero propositiones hæ personales non impropriæ sed propriæ (non naturæ quidem, sed significationis proprietate) sint, negamus tamen esse Synonymicas aut Paronymicas proprie loquendo. Possent quidem, si modum cohæsionis accidentalem, qui in Paronymicis prædicationibus est accidentalis, non autem in prædicationibus personalibus, non velimus attendere, referi ad paronymicas: interim satius est referri ad prædicationes præter naturam & per accidens

quippe tales habentem terminos, quorum uterq; æque aptus est subjici ac prædicari. Manet tamen, habitudinem inter terminos hosce planè esse singularem & inusitatam, unde & merito suo hæ prædicationes inusitatæ & irregulares salutantur. *Cum enim dico, homo est DEUS & hypostasin intelligo, secundum quam inseparabiliter* DEO *verbo unitur, & in se invicem naturarum ingressionem immansionemq; , quemadmodum dicimus ferri ignitionem* quæ sunt verba Damasc. lib. III. cap. 17. Qui cap. XII. *sic*, ait, *intelligenda & dicenda est Deipara Virgo, non solum propter naturam* Verbi, *sed etiam propter deificationem humanæ carnis &c.*

§. 4. Formale, ut sic dicam, consequens unionis personalis est communicatio Idiomatum. Communicationis vocem accipimus non transitivè & activè, sed passivè & intransitivè, ut sit in consortium, societatem & communem possessionem recipere. Proprium generaliter stat pro eo, quod alicui rei soli competit sive sit essentia, sive adjunctum, sive effectum. Hujus vulgo tria constituuntur genera. Primum est, cum propria naturæ unius sive divinæ sive humanæ prædicantur de concreto personæ Christo ab utraq; natura denominato, v. g. Immanuel est ab æterno, Immanuel passus est sub Pilato; & rursus propria divinæ naturæ, de concreto naturæ Christo ab humana natura denominato, v. g. Christus Homo est Filius Dei naturalis, omnipotens; item humanæ

manæ propria naturæ de Christo à divina natura denominato prædicantur, v. g. DEUS est mortuus & sepultus. Quod si enim vere & realiter duæ naturæ in unam coivere personam, adeo ut caro assumta propria caro sit Filii DEI, sequitur quod vere & realiter possideat persona, quicquid habet natura humana. Porro, si vera facta est naturarum communio, sequitur, quæcunq; de Christo dicuntur, sive deitatis sint humanitatis propria, de utraq; natura intelligenda, ut uni proprie competant, alii per appropriationem attribuantur. Duo hic notanda. Primum. *idiomata totius communicari non partibus, sed toti suppositi secundam regulam Bonaventuræ*, quam commendat Chemnitius lib. de duab. Nat cap. XIV. p. 93. Sic idioma divinum, unitum esse animæ Christi, non convenit corpori in triduo mortis, quippe quod tunc non unitum sed separatum erat ab anima. Sic idioma partis humanæ effundi, quod prædicatur de sangvine, non potest prædicari de DEO, quippe qui non est effusus. Alterum, est CL. Mentzeri in Anti Martin. pag. 191. *Hæc propositio, Filius Mariæ est mortuus, pertinet etiam ad hunc gradum communicationis, contra quam Beza & alii scripsere. Quanquam enim consequens, sive prædicatum illius prædicationis, proprium est ejus naturæ, nempe humanæ, à quâ antecedens sive subjectum denominatur, tamen illud (scilicet mori) non prædicatur de sola humana natura, seorsim*

seorsim subsistente sed de persona ipsa. Neq; idem est, nisi accedat explicatio, Filius Mariæ moritur, & humana natura moritur. Secundum genus communicationis idiomatum est, quo vere & realiter homini Christo gloria & plenitudo majestatis divinæ est communicata, v. g. omnipotentia, adorabilitas &c. Tertium est, quo alterutra natura in operibus officii non otiosè quiescit aut sua tantum privatim agit, aliud agente & patiente altera, sed utraq; natura agit cum communicatione alterius. Si enim verè participat humanitas Christi de majestate & gloria DEI, sequitur, eam per communicatam illum majestatem agere in operibus officii. Præterea, cum dicitur sangvis Christi mundare nos à peccatis & reconciliare cum DEO, tum ratione actus illius omnino agit supra vires humanas natura humana. Neq; enim suis viribus natura humana potest mundare à peccato & cum DEO reconciliare. Qui dicunt, sangvinem Christi mundare merito, non autem efficacia, quid dicant, nesciunt, imo sua vinæta cædunt. Nam & merito mundare infinitam virtutem præsupponit. Efficacia autem sangvinis Christi liquido colligitur ex justificatione, salvatione, reconciliatione cum DEO, victoria Satanæ & mortis Rom. III. 25. v. g. 10. Ebr. IX. 14. seqq. Hoc genus merito tertio loco ponitur, quia ejus fundamentum est in secundo & in eo duo priora velut concurrunt. Nam hic & Christus à divina

natura

natura denominatus non divina tantum, sed humana quoq; mediante persona sibi appropriat; & humana natura non humana tantum, verum etiam divina per infinitam excellentiam secum communicatam operatur. Quorum illud ad primum genus, hoc pertinet ad secundum. Aliter enumerat Formula Concordiæ hæc genera communicationis idiomatum. Nempe propositum ei erat, secundum genus communicationis idiomatum paulo susius & accuratius explicare, ideo huic locum tertium assignavit. Vide CL. Hutterum in Form. Concord. pag. 775.

§. 5. In specie quod attinet secundum genus communicationis idiomatum, videndum 1. Quis 2. cui 3. quid 4. quando dederit. Quod enim attinet τὸ Quomodo, illud plenè in hac vita non cognoscitur, interim nec verbaliter nec essentialiter, sed personaliter per gratiam unionis datum est, quicquid datum est. Quod atrinet primum, dedit tota Trinitas. *Suscepit Filius carnem in proprietate, sed tamen Pater & Spiritus Sanctus non defuerunt majestate*, ut signanter loquitur Aug. serm. 3. de temp. Si porrò quæritur, cui datum sit, respondet scriptura, datum esse humanitati. Huc pertinent tum locutiones, quæ vocibus constant abstractivis (caro Christi est vivifica &c. quanquam tales locutiones in rigore loquendo non sint abstractivæ, eo quod humanitas sive caro non spectetur præcisè & abstracte in sua natura extra-

uni-

unionem, sed in unione, prout est caro Filii DEI omnia vivificare valentis) tumillæ, quibus manifeste adduntur limitationes subjecti ad humanitatem sive expresse, per descriptionem partium, effectorum, adjunctorum hominis Psal. IIX. 5. 7. Apoc. V. 5. &c. sive per additionem particulæ distinctivæ, ut Joh. V 27. Et hæc communicatio in secundo hoc genere aliter se habet, ac in cæteris. Nam in primo & tertio mutua est & reciproca, at non in secundo. Neq; enim humanitas dare aliquid perfectionis potest infinitæ Deitati, sicut materia formæ nihil dat perfectionis, sed accipit tantum. Atque hic minime pretereundus est locus Phil. II. 9. ubi habes τὸ ὑπερύψωσεν, item, ejus naturæ, quæ humiliata est, exaltationem. At repugnat divinitati à gratia aliena pender, repugnat exaltari. Neq; enim per officium mediatonis divinitas in sublimiorem evecta est statum. Putant quidam, non inconveniens esse locum Pauli interpretari de Christo secundum divinam naturam spectato, eo quod veriſſimum sit, λόγον admirando modo semet humiliasse, cum nostri causa homo fieri dignatus est. Verum de eo non est quæstio, an λόγος suo modo se humiliaverit, sed an præsens Pauli testimonium proprie & directè agat de humiliatione ejusmodi, quæ λόγῳ, quatenus est λόγος, attribui possit. Quod nulla ratione permittit textus. Agitur enim non de humiliatione acti-

vè

vè sumta sed passivè, de forma servi, de exinanitione reali (respiciente plenariam majestatis usurpationem) de obedientia, secundum quam sustinuit mortem, quæ velut limes & terminus obedientiæ erat. Unde porro consequitur, secundum quam naturam est exinanitus, secundum eandem esse exaltatum. Sed de hâc excelsitate quæritur tertio, an finita tantum creata & habitualia dona complectatur, an vero etiam infinita & increata. Posterius nos tuemur, & distinguimus inter proprietates divinas. Aliæ nimirum sunt, quæ communicari & potuerunt & debuerunt, ut humanitas Christi obeundis officii mediatorii partibus sufficeret & par esset: aliæ autem tales, quas communicari immediate implicat contradictionem, ut sunt, independentia, quæ creaturæ; immensitas, quæ finito corpori; æternitas, quæ tempori; spiritualitas, quæ corpori competere nequit. Quomodo in homine anima certas proprietates, easq; ἐνεργητικὰς sive tales, quæ ad operationem quandam tendunt, communicavit corpori v.g. potentiam videndi, audiendi &c. non autem spiritualitatem & immortalitatem. Sicut autem hæ potentiæ principaliter, formaliter & subjectivè animæ insunt, organicè autem corpori competunt, verâ tamen & reali communicatione, consimiliter divina attributa in divinitate sunt principaliter formaliter & velut subjectivè, ut, sicut anima potentiam videndi in actum deducit

per

per oculum velut per organon, similiter majestas divina DEO propria in actum deducatur per humanitatem velut per ὄργανον conjunctissimum, proprium, ἐνυπόστατον, εὔχρηστον καὶ ἐνεργητικὸν (Damasc. vide lib. III cap. XIII.) organon, inquam, non διακονικὸν sed αὐτοκρατορικὸν, hoc est, organon in ejusdem consortium Majestatis evectum. Hinc fit, ut majestas hæc prædicetur de homine Christo, neq; tamen ea humanitati Christi inest subjectivè per transfusionem quandum proprietatum & exæquationem naturarum: non enim subjectum logicum cum physico confundendum, multa quippe prædicantur, quæ non insunt subjectivè. Deniq; si quæratur, quando facta sit hæc communicatio proprietatum, distingvimus κτῆσιν possessionem à χρῆσει usurpatione. Gloriæ possessionem Christus homo accepit per unionem personalem (quæ ipsa tantam importat majestatem, ut ea nulla sit major) in ipso momento incarnationis, quo facta est humanitas proprium templum divinitatis, in quo tota Deitatis plenitudo habitat Esa. XI. 1. Luc. I. 36. Joh. I. 14. Hoc sensu Form. Concordiæ pag. 764. dicit, *Majestatem illam, ad quam Christus secundum humanitatem suam exaltatus est, non tum demum accepisse Christum, cum à mortuus resurrexit & ad cœlos ascendit, sed tum, cum in utero Matris conciperatur & homo fieret: quando videlicet divina & humana natura personaliter sunt unitæ.* Nempe loquitur de

de κτήσει non de χρήσει, de jure, non de actu. Ut autem hoc, quod de momento incarnationis dicitur, recte capiatur, distinguenda membrorum in utero materno effigiatio ab effigiatorum accretione. Non hæc, sed illa momentanea fuit. Quanquam vero jam inde à momento incarnationis gloriam posſederit infinitam Christus homo, detinuit tamen eam in statu exinanitionis per voluntarium obicem, exerit autem plenè & plenè in statu exaltationis. Plenè inquam: nam iterum distinguenda usurpatio particularis, quam in statu exinanitionis admittere nos jubet scriptura, ab universali, quam negamus. Quæ hactenus dicta sunt, probantur Joh. XVII. 5. ubi Christus de gloria, quam ut DEUS ab æterno habuit, loquitur. Eam autem (quoad universalem usurpationem) & petiit & accepit Christus homo. Joh. I. 14. ubi humanitas Christi, quæ habitaculum est Deitatis, dicitur habuisse gloriam unigeniti à Patre. Colos. II. 9. tota plenitudo Deitatis dicitur in Christo homine habitare σωματικῶς. Joh. III. 34. homini Christi dicitus datus Spiritus Sanctus non ad mensuram. Confer Joh. I. 16. Act. II. 33. *Quicquid* autem *est datum realiter* (non solum manifestative) *Christo in tempore, id datum est non secundum Deitatem, sed secundum humanitatem*, ut habet regula antiquitatis testante Theodoreto Dial. II. Vide Form. Concord. pag. 846.

§. 6. Diximus Filium DEI homini Christo quædam infinita dona in tempore dedisse. Quænam autem illa sint, ex solis addiscimus scripturis: aliunde enim, ut in aliis misteriis, ita in hoc sublimi & admirando articulo concludendum non est. Sunt autem hæc: adorabilitas, omnipotentia, omniscientia, omnipræsentia. Primum locum facimus dignitati recipiendi adorationem religiosam. Quæ ipsa illustre argumentum communicatæ gloriæ infinitæ suppeditat. Si enim Christus homo tantum finita dona accipit, utiq; cultus religiosi soli DEO proprii capax esse minimè potest. Notandum tamen, objectum adorationis formale, per se, absolutum & primarium intrinsecè continens & terminans rationem adorandi solam divinitatem esse: humanitatem vero objectum materiale secundarium & respectivum, quod propter excellentiam non propriam, sed appropriatam & communicatam colitur. Interim DEUS & homo una colitur adoratione. Sicut enim gloria infinitæ majestatis una & eadem θεανθρώπῳ DEO atq; homini tribuitur, DEO ut subjecto quasi inhæsionis, homini ut subjecto prædicationis: ita unus idemq; cultus divinus DEO proprius, homini appropriatus à nobis statuitur. Probatur adorabilitas hæc Phil. II. 9. 10. Rom. XIV. 11. Christus homo dicitur accepisse ex gratia (non ergo de DEO intelligi potest) *nomen su-*

per

per omne nomen, ut in nomine JESU *flectatur omne genu.* At hæc est descriptio adorationis soli DEO debitæ Esa. XLV. 23. Joh. V. 22. 23. seq. habes ἰσοτιμίαν sive æqualitatem honoris competentem Christo homini & DEO Apoc. V. 12. *dignus est agnus mactatus, qui accipiat virtutem & divitias & sapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem.* Et vers. 13, *Sessori throni & Agno benedictio & honor & gloria & robur in secula seculorum.* Habes & hic ἰσοτιμίαν. Facessant ergo gradus adorationis & in rem malam abeant. Valeat Wendelinus cum scribit: *Eadem utriq; naturæ non tribuuntur, sed divina divinæ, humana humanæ, personæ tamen simul omnia.* Blasphemum est, cultum humanum dicere personæ Filii DEI tribuendum. Adde exempla sanctorum Joh IX. 35. XX. 27. 28. Act. VII. 56. Eb. I. 6. *Quisquis negat, una adoratione venerandum Immanuelem, unamq; ei glorificationem dependendam, juxta quod Verbum caro factum est,* anathema sit, ut habet Anathematismus VIII. Concilii Ephesini. Progredimur ad omnipotentiam, cujus communicatæ evidentia documenta extant Matth. XXIIX 18. Dan. VII. 14. Matth. XI. 27. Joh. XIII. 3. XVII. 2. Dices: hæc & similia loca intelligi de collectione Ecclesiæ, quæ sit potestatis finitæ aut mediæ cujusdam inter finitam & infinitam, 2. agi de officio, non de omnipotentia 3. agi de ἐξουσία sive potestate &

jure, quale v. g. Princeps aliquis terrenus habet delendi hostes suos, ut ut desit δύναμις & potentia. Resp. non de sola Ecclesia, sed de omni creatura, de omni carne sermonem esse. Posito tamen, de sola. Ecclesia sermonem esse, ad huc sequitur intentum. Non enim finitæ, sed infinitæ virtutis est, Ecclesiam colligere & tueri. Neq; dici debet potentiam hanc esse infinitam respectu DEI, finitam respectu hominis. Sic enim contra principia disputatur, quando uni eidemq; voci semel positæ simul potestatem finitam & infinitam significandi vis attribuitur. Inepti sunt, qui dicunt, potestatem officii intelligi, quæ nec finita sit nec infinita. Nam & sic contra principia disputatur, & porriguntur arma Socinianis, contendentibus, dari Ens, quod nec finitum sit nec infinitum, nec creator nec creatura. A quibus quàm proximè absunt adversarii, cum dicunt, geminam esse potestatem, alteram superiorem & infinitam, alteram inferiorem & finitam, item Christum esse Patris vicarium & habere jus secundarium, & quæ sunt hujus furfuris alia, quorum nulla fundamenta possunt monstrari ex scripturis. Deniq; dicere, potentiam Christi hominis ideo statuendam finitam, quia nominibus illis cœli & terræ velut certis finibus & limitibus circumscribitur, hæc inquam, dicere est petere id, quod est in principio, imo disputare contra principium. Quis enim nescit, stylo scripturæ omnipotentis DEI impe-

imperium describi expressione cœli & terræ Vide I. Paral. XXIX. 11. Matth. XI. 25. Gen. XIV. 22. Ad II. Resp. confundi officium ipsum Christi Regis cum potestate, qua Christus homo in officio suo fungitur. Hanc adversarii volunt esse finitam, è qua procedere debuit ἀποτελεσμα virtutis infinitæ. At hoc fieri per rerum naturam nequit. Concedunt nunnulli ἐξ ἐναντίας, quod omnipotentia sese in humana natura exserat, quodq; humanitas Deitatis organon sit, sed addendum, quod se exserat, quatenus ei communicata & vere atq; realiter ab ea possidetur. Nam & per Apostolos se exsere. bat Phil. IV. 13 at alia ratio hominis Christi. Ad III. Respond. quanquam ἐξουσίαν & δύναμιν profani Autores fortè distinguant, in N. tamen Test. sæpe connectuntur, seq; mutuo explicant: adeoq; Christo homini expresse tribuitur non tantum ἐξουσία verum etiam δύναμις καὶ ἰσχὺς Apoc. V. 12. Quare sic concludimus: Illa ἐξουσία πᾶσα (NB πᾶσα) aut est ipsa omnipotentia, aut omnipotentiam includit, aut caret δυνάμει. Si primum & secundum, habemus intentum. Si tertium, titulus sine re attribuitur Christo, quod absurdum. Vide Leidenses Disp. XXIIX. thes. XXVI Hæc omnipotentia communicata in tres velut surculos dividitur, potentiam miracula edendi, potentiam vivificandi, deniq; potentiam judicandi orbem terrarum. De vir-

tute miracula edendi testantur loca plurima Matth. IIX. 3. Act. X. 38. &c. imprimis Luc. IIX. 46. ubi Christus ait virtutem sanandi A SE prodiisse. Optime Athanas. Dial. V. de Trin. *Sicut anima in corpore: sic* DEUS λόγος *unitus homini edidit prodigia non separatus à natura assumta: Sed placuit ei IN EA, cum EA & PER EAM potentiam suam divinam exerere.* De virtute vivificandi tum spirituali tum corporali loquuntur expressi Scripturæ textus Matth. IX. 6. Joh. VI. 33. 50. seqq. I. Cor. XV. 21. Joh. XI. 25. Concilii Ephesini Can. XI. hæc verba sunt: *Si quis non confitetur, carnem Domini esse vivificam, propterea quod propria facta est Verbi quod omnia vivificat, anathema sit.* In cujus anathematismi explicatione Cyrillus dicit: *Nestorium voluisse vivificandi vim tribuere carni Christi, sed sententias Joh. VI. exposuisse de sola divinitate.* Deniq; potestatem judicandi humanitati esse communicatam patet ex Matth. XXVI. 64. Joh. V. 27. (ad quem locum Cyrillus lib. 2. in Joh. cap. 144. *Christus*, inquit, *causam subjecit, quare vitam & potentiam judicii sibi à Patre data esse dixerit, inquiens, quia Filius hominis est, ut intelligamus omnia sibi data esse ut homini*) Apoc. I. 11. Ex occasione eclipseos Solaris, quæ contingit II. Augusti, quæritur de signis præcessuris ultimum diem, an sint physica, an vero hyperphysica? Nobis probatur Lutheri sententia Post. in Dom. II. adventus sic loquentis: *Fieri omnino potest, ut*

diem

diem extremum præcedant eclipſes ſupernaturales & prodigioſæ, quas Mathematici ex artis ſuæ principiis non poſſunt prænoſcere, qualis fuit, quæ paſſionis tempore contigit. Vide CL. Danhawerum Hodoſ. pag 578. Tantum de omnipotentia ejusq; ſurculis, quibus adde omniſcientiam. Qui enim eſt omnipotens, is etiam omniſcius. Scit enim omnia quæ facere poteſt. Sed & de hac extant loci ſcripturæ clariſſimi Eſa. XI. 2. Joh. II. 24. VI. 64. Coloſſ. II. 3. Et diſertè Petrus Joh. XXI. 17. Domine, inquit, tu OMNIA NOSTI. Atq; hæc omniſcientia probatur ex cultu adorationis & judicandi facultate, de quibus dictum. Neceſſum enim eſt, eum, qui adoratur, quiq; ſit judicaturus orbem terrarum in juſtitia, omnium rerum ſcientiam habere, etiam intimorum cordis receſſuum & latebrarum.

§. 7. Supereſt idioma officii Regii, Omnipræſentia. Pro hac militant evidentia Scripturæ loca Matt. XIIX. 20. Matt. XXIIX. ult. Pſal. CX. 2. Joh. VI. 56. Loquuntur hæc & ſimilia loca de Chriſto. Nulla autem ratio produci poteſt, quæ evincat, intelligenda de Chriſto ſecundum divinitatem tantum eſſe. Quin rationes ſuppetunt validiſſimæ, intelligenda hæc quoq; de Chriſto homine eſſe. Nam & verborum proprietas dictorumq; virtus id poſtulat, & flagitat ratio officii Regii. Actiones quippe officii ſunt utriq; naturæ communes, *Credimus*, inquit Form. Con-

cord. pag. 783 *superioribus scripturæ testimoniis Majestatem hominis Christi declarari, quam Christus secundum suam humanitatem ad dextram Majestatis & virtutis* DEI *accepit: ut videlicet etiam secundum illam suam assumtam naturam & cum ea præsens esse posit, & quidem præsens sit, ubicunq; velit: præsertim vero sentimus, eum Ecclesiæ suæ in terris ut Mediatorem, caput, Regem, & summum Sacerdotem præsentem esse. Non autem dimidiatus tantum Christus aut una duntaxat ipsius pars Ecclesiæ præsto est: sed tota ipsius persona. Ad eam autem pertinent amba naturæ, divina & humana: quare eum præsentem habemus non tantum secundum divinam, verum etiam secundum assumtam humanam ipsius naturam: juxta quam frater noster est, & nos caro sumus de carne ejus & os de ossibus ejus. Et sanè in hujus rei confirmationem sacram suam cœnam instituit: ut testaretur, se etiam secundum eam naturam, qua carnem & sanguinem habet, nobiscum esse, in nobis habitare, operari & efficacem esse velle.* Hæc. For. Con. rectissimè. Qui hic impossibilitatem rei causantur, cogitabunt, *apud* DEUM *nullam rem impossibilem esse* Luc. I. DEUM *posse abundanter majora facere quam nos mente concipere possumus* Eph. III. 20. Cogitabunt Christum exaltatum sedisse ad dextram virtutis & omnipotentiæ divinæ. Finge Christum hominem absentem dominari, utiq; non dominabitur pro ratione dextræ virtutis DEI, sed pro ratione regnorum terrenorum. Deniq; produ-

cimus

cimus locum illustrem Eph. IV. 10. Ubi Christus homo dicitur *adscendisse, ut omnia impleret.* Quod de divinitate capi nequit: hæc enim adscensione non opus habuit, ut omnia impleret. Quid autem per τὰ πάντα intelligendum, liquet ex partitione τῶν πάντων vers. 11. & inprimis ex Eph. I. 22. Confer Jerem. XXIII. 23. Dices: nihil aliud significari, quam Christum impleviſſe Ecclesiam donis, de quibus in textu sequitur. Resp. universaliter dici omnia, quæ non possunt vel debent restringi ad Ecclesiam, quamquam benè ab Apostolo fiat applicatio ad Ecclesiam. Qui enim implet omnia in omnibus, is etiam implet Ecclesiam donis. Quod autem ad solam Ecclesiam non possit restringi, liquidum est conferenti Cap. I. 22. 23. ubi universale Christi secundum humanitatem exaltati in omnia etiam ordines Angelorum dominium habes. Benè Oecumenius: *Nuda quoq; divinitate olim omnia implebat. Et incarnatus, ut omnia cum carne impleret, descendit & adscendit.* Et Theophylactus: *Ut omnia impleat dominationes operationeq; idq; in carne, quandoquidem divinitate jam antea cuncta compleret. Hæc autem adversus P. Samosatenum,* (docentem, τὰς δύο φύσεις διηρημένως ἐχέτας καὶ ἀκοινωνήτως πρὸς ἑαυτὰς εἶναι παντάπασιν ἐν χριστῷ) *& Nestorium sunt.* Si quæras de modo, respondemus cum Form. Concord. p. 788. eum soli DEO notum esse.

Sunt quidem Augustanæ Confessionis socii circa punctum omnipræsentiæ ad quasvis creaturas carni Christi communicatæ non ejusdem sententiæ, conveniunt interim in omnipræsenti Christi dominio secundum naturam utramq; & ἀδιαφθορίᾳ, juxta quam indistanter caro λόγῳ conjungitur & unitur. Notanter CL. Danhawerus ex Menzero concludit Hodos. pag. 493. *Ubi unum*, inquit, *unitorum, ibi etiam alterum est SIBI ac suo unito, non item aliis extra unitum præsens. Caro est præsens λόγῳ Athenis: non item* (in statu exinanitionis) *est præsens Athenis.* Sunt, qui negant, Christum dicendum secundum humanitatem omnibus creaturis in regno potentiæ extra Ecclesiam esse præsentem. Qui tamen non negant, infinita dona humanitati Christi esse communicata omnipotentiæ, omniscientiæ, subsistentiæ ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ: non definiunt unionem personalem per gestationem & sustentationem: non negant Christum, ubi velit, adesse posse, imo adesse in omnibus istis locis, ubi sacra Cœna administratur: deniq; non negant, Christum etiam secundum humanitatem adesse dominio & operatione. Unde patet immane quantum hos inter & adversarios nostros discrimen intercedere. Dices, & hos agnoscere omnipræsentiam operationis. Resp. fierè id non posse, stante hypothesi non communicatæ potentiæ infinitæ. Hujus qui communicationem factam agnoscit, fundamen-

damentum agnoscit omnipræsentiæ, cujus defensio atq; assertio necessaria est ad intelligendum sublimem articulum de sessione ad dextram DEI. Quæ profecto non est definienda certo loco, nec capienda de potentia quadam divina inferiori, aut duplex fingenda sessio ad dextram DEI, una quæ Deitati, altera, quæ humanitati conveniat. Hæc enim Scripturis inaudita, extra quas sapere non debemus, imo contraria scripturis & rationibus hactenus allegatis. Sunt, qui in controversia de omnipræsentia carnis Dominicæ ad quasvis creaturas abstinent & affirmativa & negativa. CL. Scheiblerus pro hac sententia, in qua & ipse est & plurimi forte alii in Ducatibus Slesvicensi, Holsatiæ, Brunsvicensi, Lunæburgensi, territorio Norimbergensi &c. sunt, citat Autores Apologiæ Formulæ Concordiæ, Chemnitium, Collocutores Colloquii Altenburgensis orthodoxos, Mentzerum, Chytræum aliosq; Disp. de Persona Christi pro fidei simplicitate contra Calvinianos habita Tremoniæ Anno 1641. §. 36. seqq. Ipsa Formula Concordiæ pag. 878. *perinde atq; omnes alii Sancti Patres nos non ad ligna & lapides aut aliud quid, sed eo, quos nos Christus in & cum Verbo suo, remittit & deducit*, in decisione solida controversiæ de omnipræsentia hominis Christi. Sunt deniq;, qui omnipræsentiam Christi hominis ad quasvis creaturas statuunt: negantes interim, naturam humanam propter unionem personalem

cum

cum divinitate esse confusam, aut in eam transmutatam: aut humanam in Christo naturam in omnia loca cœli & terræ extensam esse localiter aut diffusam, approbantes illud Augusti. Epist. ad Dardan. *Secundum hanc formam* (humanitatem) *non putandus est ubiq; diffusus, cavendum est enim, ne ita divinitatem astruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, ut, quod in* DEO *est, ITA sit ubiq; ut* DEUS. Quanquam vero quædam controversia supersit de fundamento proximo omnipræsentiæ Christi secundum carnem, quibusdam statuentibus illud esse ipsam incarnationem sive personalem unionem, aliis vero contendentibus, unionem personalem esse quidem fundamentum remotum, proximum vero esse sessionem ad dextram DEI, si usurpationem plenariam acceptæ majestatis spectemus *& distinguentibus inter præsentiam intimam & personalem* λόγε & carnis intra se, quæ in statu exinanitionis obtinuit, & prælentiam extimam θεανθρώπε ad creatutas, quæ tum non obtinuit, sed demum per sessionem ad dextram DEI, quæ est impletio omnium, cœpit, mansit tamen hactenus salva dissentientium fraternitas. Vid. CL. Schrod. scept reg pag. 695. seqq. Non ergo est, quod de moto vel veteri vel novo bello ubiquetistico glorientur adversarii, qui & inter Heshusium atq; Wurtembergenses, & inter Tubingenses & Giessenses agitatas de omnipræsentia quæstiones curioso oculo notant, atq; in emolumentum suæ se-

ctæ,

ctæ, nostrorumq; Ecclesiarum detrimentum convertere egregiè didicerunt. Saltem adjungant sese in aliis doctrinæ sanæ capitibus Ecclesiis Brunsvicensibus, Giessensibus, Wurtenbergensibus & rem totam fraternitatis, quam anxiè nimis cupiunt, ex animi sententia confectam habebunt. Id quod dudum publicè testatus est CL. Mentzerus cujus in Scripto Germanico (Rettung der Cassel-schen Friedens-Predigt) cap. XII. pag. 101. hæc sunt verba: Belangend der Braunschweigischen Kirchen und D. Chemnitii Gutachten / daß die Disputation von der Ubiquitet bey seite gesetzt werde / wann Steinius in den andern punctem mit denselbigen löblichen Kirchen & scriptis Chemnitii einstimmen wird / wollen wir mit keinem Wort einige molestie deßwegen verursachen / dessen er sich gewißlich zu uns versehen soll.

ANTITHESIS

Continens rejectionem

§. 1. Veterum & recentium hæreticorum, qui impugnârunt Christi divinitatem, quorum alii Christum ante suam ex Maria nativitatem plane non extitisse (quales Cerinthus, Ebion, Samosatenus, Photinus, Mahometanni, Sociniani &c.) alii non esse Patri consubstantialem (quales Carpocratiani, Basidiani, Ariani &c.) alii ejusdem quidem esse Substantiæ, at non ejusdem potentiæ (quales Aetius, Eunomius &c.) dixerunt.

Item

Item eorum, qui Christi veram humanitatem oppugnarunt, quales Saturninus, Basilides, Cerdoniani, Marcionitæ &c. statuentes, Filium DEI non assumsisse naturam humanam veram, sed tantum φάντασμα & speciem corporis externam; Valentiniani (quos hodie sequuntur Anabaptistæ) statuentes, Christum per Mariam transisse sicut aqua transit per canalem; Apellitæ, qui Christum docebant carnem duxisse ex Elementis mundi, quæ mundo reddidit, cum sine carne resurgens in cœlum adscendit; Eutyches modo docens corpus domini non esse nobis consubstantiale, neq; ex substantia Mariæ Virginis conceptum, sed cœlitus allatum, modo statuens, ante unionem Christum ex duabus naturis constitisse, post unionem vero unam tantum in ipso esse naturam; Ariani fingentes, λόγον assumsisse carnem omni anima destitutam; Apollinaristæ disputantes, λόγον assumsisse carnem non quidem anima vegetativa & sensitiva, sed rationali destitutam &c. Svencfeldius putans, carnem Christi & nostram diversæ substantiæ esse; Sociniani contendentes tam ex sangvine Mariæ, quam ex materia à Deo ad corpus Christi gignendum allata Christum esse genitum, item, Christum in cœlo non habere carnem & sangvinem; deniq; Flaciani hypothesi illa: Peccatum esse ipsam hominis substantiam. Rejicimus etiam ἀπαθεῖς, qui negarunt

runt hominem Christum fuisse passionibus & dolorum sensui obnoxium: ἀφθαρτοδοκήτας, qui negarunt Christum infirmitates naturæ humanæ suscepisse: Stancarum & Osiandrum, quorum neuter Christum secundum utramq; naturam Mediatorem agnoscere voluit, ut Exerc. IV. dictum: ex Scholasticis & Calvinianis illos, qui Filium Dei incarnandum fuisse contendunt, etsi homo non peccasset, quorum assertio Scripturæ adversatur, docenti, finem incarnationis esse lapsi hominis restitutionem & redemtionem Matt. XIIX. 11. I. Joh. III. 5. & passim.

§. 2. Eorum, qui vel cum Nestorio personam Filii DEI divellunt, vel cum Eutyche naturas confundunt. In priori classe Jesuitæ sunt & Calviniani, qui unionem definiunt per adjunctionem, nudam sustentationem & gestationem, negantes unionem esse factam ad constituendum unum ὑφιστάμενον, negantes ὑποστάσεως communicationem, negantes humanam naturam esse assumtam εἰς θεότητα, asserentes, non naturam sed personam τοῦ λόγου esse incarnatam, totum λόγον sic esse in carne, ut sit etiam totus extra carnem, humanam naturam Christi nullum alium per unionem & in ipsa λόγου ὑποστάσει existentiæ modum habere, præter naturalem & localem &c. Nestorio olim oppositi sunt Anathematismi Ephesini. Sed hos etiam ferire adversariam nobis partem ostendit CL. Danhavverus

Phan-

Phantasm.Hodom. Sp. Calv. IIX. pag. 1577. Verba ejus hæc sunt: I. *Immanuelem verum* DEUM *negat. Is qui ex Maria nascitur, non est* DEUS, *absurdum quippe* DEUM *ex homine nasci. Christus est is, qui ex Maria nascitur. E. non est* DEUS. B. *Virginem non finit esse* DEI *param.* 2. *Unitatem personæ verbo asserit, negat consequenter.* 3. *Solam communicationem dignitatis, authoritatis, potestatis, effectivam & extrinsecam largitur, communicationem axiomatum divinorum explodit* 4. *officialia prædicata separat, alias* DEO *seorsim, alias carni tribuit sine operationum communicatione.* 5. *negat* CHristum *hominem esse* DEUM, *solam* θεοφορίαν *relinquit.* 6. *sic* λογον *asserit hominis esse* DEUM, *ut* λόγος *non sit verè ac realiter homo.* 7. JESUM *tanquam nudum organon à verbo adjutum contendit, & unigeniti gloriam adorabilitatem scilicet tanquam alteri personæ tribuit, & geminat Christi adorationem* 8. *Virtutem thaumaturgicam negat carni propriam esse proprietate personali.* 9. *Christum merum esse hominem facit, qui sibi gloriam meruerit.* 10. *carnem vivificam esse non finit, dum communicationem idiomatum tollit. nec magis vivificam esse finit, quàm est Evangelium.* Ita enim Combachius de comm. idiomat. Cap. 21. pag. 189. *Negamus ergo vivificandi vim semper designare aliquod essentiale Deitatis proprium: Sed quandoq; accipi pro virtute quadam instrumentali, quæ per organon suum efficax est & exeritur*

operatur. Sic Evangelium est virtus DEI Rom. 1.16. *ii. Verbum natum, passum &c. in ficiatur.*

§. 3. Eorum, qui naturarum communionem oppugnant. Qualis olim Samosatenus & asseclæ, hodiæ Jesuitæ & Calviniani sunt. Eorum item, qui perperàm de propositionibus personalibus sentiunt. Scholastici olim statuebant esse identicas vel accidentales, à quibus Jesuitæ non dissentiunt. Calviniani quidam censent esse verbales tantum, alii regulares, alii essentiales & univocas, alii accidentales, alii identicas, alii propositiones figuratas, typicas, synecdochicas, causales esse docent.

§. 4. Eorum, qui communicationem idiomatum oppugnant. Quales olim Valentiniani dicentes, non Christum Salvatorem, sed Christum ψυχικὸν passum esse: Basilides, non Jesum, sed Simonem Cyrenæum passum esse: Nestorius negans, Deum à Judæis crucifixum: Ariani veteres & novi passionem vero & summo Deo detrahere conantes: Jesuitæ item & Calviniani, quorum analysis eo redit, ut dicant *solam naturam humanam* esse passam: *naturam humanam* docentes in operibus officii humana tantum agere ex naturalibus suis proprietatibus &c.

§. 5. Eorum, qui negant, factam esse infinitæ gloriæ communicationem carni Christi. Quales Pontificii & Calviniani, negantes tum in genere factam hanc communicationem, tum in

ſpecie communicatam eſſe adorabilitatem, omnipotentiam, vim vivificandi, vim miracula edendi, omniſcientiam, omnipræſentiam, poteſtatem faciendi judicium. Notanda hic eſt calumnia adverſariorum clamantium ex noſtra ſententia introduci Eurychianam naturarum confuſionem, earundum exæquationem, humanæ naturæ abolitionem, duplicem omnipotentiam, duplicem omniſcientiam, duplicem divinitatem. Non enim valet conſequentia: Deus habet proprium ſangvinem per communicationem Act. XX. 28. Ebr. II. 14. Homo habet ſangvinem proprium per naturam. Ergo geminus eſt ſangvis. Item, anima habet vitam principaliter, corpus organicè Ariſt. lib. II. de Anim. cap. IV. Ergo gemina eſt vita. In carbone ignito carbo habet calorem per communicationem, ignis per naturam, Ergo geminus eſt calor. Rejicimus deniq; Neſtorium & Neſtorianiſ Zantes Jeſuitas & Calvinianos, docentes, λόγον extra carnem eſſe. Sequetur inde, vel totum λόγον vel partem ejus extra carnem eſſe. Poſterius dici nequit: quia in DEO non ſunt partes. Nec prius: ſic enim dabitur λόγος ἄσαρκος, quod abſurdum. Neq; valet, ſi dicam, ſic eſſe divinitatem totam in carne, ut ea non includatur, proinde eam quoq; extra carnem eſſe. Nam Deitas, immenſitas, æternitas ſic in λόγῳ toto eſt, ut eo non includatur: nec tamen ſequitur, extra λόγον hæc eſſe. Dices: ubiquita-

quitatem pugnare cum adscensione Christi in Cœlos. Resp 1. ad vocem ubiquitatis. *Constat*, inquit Hutterus in Form: Concordiæ pag. 823. *vocabulum ubiquitatis primitus excogitatum fuisse à Zvvinglianis, inprimis vero ab Henrico Bullingero & Petro Martyre, & quidem ad conciliandam invidiam doctrinæ nostræ de Majestate Filii hominis, quasi statueremus corpus Christi omnibus in locis localiter expansum; & omnibus lapidibus, lignis, cantharis cerevisiariis & id genus rebus ac locis impuris inclusum esse. Quod ipsum monstrosum & horrendum dogma, pari criminandi libidine Censores etiam isti nobis affingunt, ut patet ex quadam disputatione de DEO & Christi tum personatum officio, celebri quadam in Academia Anno 598. mense Februario habita, & cumprimis Thesi 53. & 57. Quare mirum videri debet nemini, quod Critici isti ultro fatentur, se in hac Disputatione Vocabulum Ubiquitatis non defugere.* Nos vero, qui à sensu vocabuli toto pectore abhorremus: ipsi quoq; vocabuli hujus usui tamdiu nuncium merito remittimus, donec saniorem sensum & intellectum illud apud adversarios soritum fuerit. Pari ratione vocabula Græca παντιχθσίας: item παντοπίας, & id genus voces alias, quippe neq; Scripturis, neq; puriori Ecclesiæ cognitas, ex nostris Ecclesiis simpliciter relegamus. Hæc ille. 2. Ad rem respondeat CL. Dorscheus Pentad. Disp. XV. §. 31. Ponamus, inquit, *per cœlum finitum* πῶ intelligi, *distingvamus autem inter* πῶ,

ubi ad sessionem ad dextram admissus est Dominus Jesus, & inter ipsum actum sessionis. Potuisset Jesus in his terris sine aliqua ἀναβάσει introire in gloriam suam, occupare thronum suum, si DEO Patri suo placuisset. Placuit vero solennibus quibusdam gradibus ipsum recipere in illud fastigium, quod non finitam, sed infinitam habet altitudinem. Sicut etiam discrimen faciendum est inter πῦ receptionis humanæ naturæ in substantiam τοῦ λόγου & inter ipsum actum subsistendi. πῦ receptionis est finitum, sc. B. Virginis viscera. Actus autem personalis finitus non est, sed infinitus. Sic & actus sessionis non est tantum ad cœlos, sed & ad omnia objecta mundi visibilis & invisibilis, licet sit facta in cœlis receptio ad illum actum. Dicendum tamen est, illa ἐπουρανία, in quibus considere ipsum fecit Christum DEUS Pater, non esse solum finita. Considere namq; ipsum fecit ἐν ἐπουρανίοις absolutè & cum exaltatione supra omnia finita ἐπουράνια Eph I. & IV. Ergo in ἄκρῳ τῶν ἐπουρανίων, quod est thronus DEI, qui ita in cœlis est, ut ubiq; sit. Confer Zanchium lib. 2. de Incarnat. pag. 579. Vide Exercitationem Anti-Calvinisticam de Unione Personali, inquahæc pluribus expedita sunt.

COROL.

COROLLARIUM.

De Anabaptistarum, Svenckfeldianorum, Novorum Arianorum, Novorum item Antitrinitariorum vide Form. Concord. pag. 826. seqq. Placuit in gratiam Studiosæ juventutis ex libro Honorii Reggii (is est Gregorius Hornius Pastor Belgicus diu in Anglia versatus) de statu Ecclesiæ Britannicæ hodierno quædam hic subnectere de variis sectis, quæ Angliam hodie turbant. Verba ejus hæc sunt pag. 59. seqq. Omnes illæ sectæ & schismata, quæ exteris videntur numero carere, ad quatuor præcipuas revocari possunt & debent: *Quærentes* sive *Exspectantes*, *Antinomios*, *Anabaptistas*, *Congregationales*. *Quærentes & Exspectantes* quidam distinguunt & in duo genera dispescunt. Summa discriminis in eo constituitur, quod illi credant, Ecclesiam alicubi esse, sed latere, ideoq; inquirendum, *unde & Quærentes dicti*; alteri autem plane ejus præsentem existentiam negent, & in futurum expectant miraculosam cœtus Christiani per Apostolos restitutionem. Sed quoniam utriq; in eo consentiunt: nullam esse visibilem Ecclesiam, ideo nolumus esse curiosi in multiplicandis schismatis. *Expectant* Apostolum Johannem quem adhuc vivere credunt, & brevi compariturum, ut Ecclesias restituat. Alii dicunt eum jam in Suffolcia conspectum. Juxta alios vero in Transylvania adhuc hæret; & eo destinârunt

literas quibus ipsum hortantur & obtestantur, ut cito veniat in Angliam. Ideo moris apud eos est quando peregrinum aliquem vident, inquirendi, num is fortasse Apostolus Johannes sit. *Antinomi*, liberam justificationem tuentes docent, Deum nec velle nec posse videre ullum peccatum in justificatis. Hæc doctrina in præcipuam sectam excrevit. Neq; mirum: doctrina enim hæc titulo liberæ justificationis pulvinar substernit omnibus peccatis, quæ deplorare aut cavère justificatis apud Antinomos grande nefas habetur. *Anabaptistæ* in Anglia Tyrones adhuc sunt necdum ad eos errores delapsi, quos apud transmarinos invenias. Tota fere controversia, quam cum orthodoxis habent, in loco de Baptismate consistit, & vocatione Ministrorum. Nam formam Ecclesiæ in immersione constituunt, & eos tantum membra veræ Ecclesiæ esse dicunt, qui post confessionem in flumine quodam toti submerguntur, & quasi aquis sepeliuntur. *Congregationales* sive *Independentes* materiam & formam Ecclesiæ suæ à Brovvnistis didicerunt, quanquam in nonullis sint strictiores, in aliis laxiores Brovvnistis. Nam Anabaptistas, Antinomos & alios sectarios admittunt, modo non sint Presbyteriani, sic dicti, quod defendunt Ecclesiæ gubernationem Presbyterialem. Quam illi independentem esse volunt. Vocabulum Independ. aliqui abominantur, sed aliqui tantum. Sunt alii ex præcipuis ipsorum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730401073/phys_0282
DFG

rum Rabbinis, quibus id non displicet. Sed quicquid tandem id verbi sit, rem omnes obstinatissime defendunt. In nulla re major concordia inter ipsos, quam in hoc, quod quælibet congregatio, etiam septem tantum personarum totam Eccles. potestatem absolutè sine dependentia vel subjectione sub cœlo possideat. Quod si corruptum & negligens Presbyterium non corrigat membra sua, omnes Synodi totius orbis non habent potestatem juxta eos censurandi tales, etiamsi corrumperent hæresi sua & vitiis totam nationem. Itaq; omnem authoritativam Synodorum potestatem sive Nationalium sive œcumenicarum pro Antichristiana tyrannide habent; & si quis ex congregatione minimâ se submittat, eum dicunt abjicere libertatem qua Christus nos liberavit. Atque hoc monstrosum Independentiæ dogma vel radix vel fructus est multorum errorum. *Radix*: quia pauci quidam se includentes exiguis terminis unius congregatiunculæ independentis, exempti à censurâ aliarum Ecclesiarum, latam Diabolo feneſtram aperiunt, seducendi eos in quasvis cerebri humani imaginationes & errores sine ullo humano remedio. Fructus: quia qui sibi conscii sunt singularitatis, quam non toleratum iri vident, statim se recipiunt ad asylum Independentiæ, ubi libere sua monstra in sinu fovere queant &c.

Præstan-

Præstantissimo & Eximio

Dn. RESPONDENTI,

de Christo Disputaturo!

CHristus, quo solo Concordia Maxima constat,
Quæ cœlis terras conciliare potest,
Materies tibi contigit optima discutienda.
Huic animum magna sedulitate loca.
Hactenus illius devõtus amoribus, ibis
Per Christum ad Christum plenus utrinq; bonis.

Benevolentiæ mnemosynon scr.

Joh. Georg. Dorscheus, D.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730401073/phys_0284
DFG

IN FORMULAM CONCORDIÆ EXERCITATIO ULTIMA DE PRÆDESTINATIONE

Quam

DEO OPTIMO MAXIMO DIRECTORE

Consentiente Amplißima Facultate Theologica,

PRÆSIDE

Viro Admodùm Reverendo, Amplißimo & Excellentißimo,

DN. CASPARO MAURITIO,

SS. Th. D. ejusdemq; Pr. celeberrimo, Past. ad D. Mariæ & Rost. Eccles. Superint. graviſſimo,

Placidæ ventilationi privatæ ſubjiciet

ad diem Octobr.

RESPONDENS

BENEDICTUS FIGKEN/

Dantiſcanus.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII,

Acad. Typogr. Anno 1654.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730401073/phys_0285

DFG

DEO DUCE!

ARTICULUS XI.
DE
PRÆDESTINATIONE.

Ἀφορμὴ exhibens statum controversiæ.

OCcasionem conscribendo articulo XI. de Prædestinatione subministrarunt quidam Theologi Augustanæ Confessionis, qui in explicatione hujus doctrinæ vel diversis loquendi formulis utebantur, vel totam hanc doctrinam ut lubricam & rudiores in præcipitia daturam perpetuo silentio involvendam existimarunt. Vide Petri Piscatoris disp. XII. in Form. Concord. thes. VIII. seqq. ubi ostendit, Reipubl. N. Concionatores, ut & quosdam ex Ministerio Erphordiensi Anno 1564. & in ditione Ducis Brunswicensis Anno 1576. Concionatorem aulicum Rustenum cum complicibus universalem omnium hominum electionem asseruisse, contradicentibus aliis, inprimis Johanne Sinderamo & Collega, Ministris Osterodensibus, quorum sententiam Magnus Chemnitius rogatus à Duce Brunsvicensi, ut censuram & judicium suum mitterer, approbavit. Judicium illud Chemnitii sub finem Disputationis citatæ subnectitur. Huic

malo medicinam facere conscriptores Formulæ Concordiæ voluerunt, tradendo sanam doctrinæ formam, quam in explicatione hujus articuli secundum normam Verbi Divini sequerentur omnes, qui Augustanæ Confessionis esse socii vellent. Quæritur ergo, *an omnes homines ad vitam æternam sint electi &c.*

THESIS.

Prædestinatio, quæ à præscientia differt, ordo est divinorum decretorum æternorum gratuitorum in mente divina, secundum quem DEUS decrevit 1. omnium redemtionem per CHRISTUM 2. omnium vocationem per Verbum & Sacramenta, eamq; 3. efficacem: quam qui non respuunt, sed fide amplectuntur, hos decrevit 4. justificare 5. justificatos sanctificare 6. in cruce defendere 7. donare perseverantiâ & 8. glorificare.

§. 1. In genere notamus, 1. prædestinationem à præscientia & providentia differre. Prædestinatio enim fit secundum præscientiam, non contra. Accedit, quod præscientia & providentia DEI ad omnia se extenda tam mala quam bona, at prædestinatio tantum est Filiorum DEI. Deniq; scientia DEI non imponit rebus necessitatem internam, absolutam & consequentis

(alias

(alias ipsi DEI actus liberi circa quos patitur versatur DEI præscientia, non liberi sed necessarii essent) neque rerum præscitarum est causa: at prædestinatio quandam causæ rationem habet in quantum pro toto decreto de salvandis hominibus capitur, seq; per omnes gradus in vocatione & electione extendit, quomodo vocem προθέσεως nonnunquam accipi Walæus in L. C. p. 358. observavit. Cæterum 2. expendendæ voces προγνώσεως, θελήσεως προθέσεως similesq; quibus in materia prædestinationis actus in se simplicissimi, Scriptura linguæ & captui hominis συγκαταβαίνουσα utitur. Sicut enim in actionibus humanis deliberatis est πρόγνωσις intellectus, quam excipit βούλησις voluntatis, sequitur βούλευσις sive consultatio intellectus de mediis ad finem obtinendum accommodatis, claudit tandem πρόθεσις & προαίρεσις sive firmum propositum, quo eligitur medium unum rejectis aliis & executioni datur: sic in prædestinatione est πρόγνωσις sive præscientia hominis in tempore creandi & lapsuri; est θέλησις sive θελημα de misericordia hominibus lapsis impertienda I. Tim. II. 4. est βούλευσις sive βουλὴ τοῦ θελήματος, secundum quam consilium iniit de certo medio DEUS, quo salus hominum posset obtineri Eph. I. 11. Act. XX. 27. Est denique πρόθεσις sive εὐδοκία de mittendo Filio, omnibus vocandis.

salvandis finaliter credentibus II. Tim. I. 9. Rom. IIX. 28. eorumq; πρόγνωσις & προορισμὸς Rom. IIX. 28. Eph. I. 5. 9. quæ etiam πρόθεσις κατ' ἐκλογὴν sive quantum ad electionem, propositum dicitur, secundum quam πρόθεσιν & προαίρεσιν rejectis, quos prævidet, incredulis & inobedientibus, credentes, quos prævidit, nominatim ad salutem sive vitam æternam elegit. III. observentur octo divinorum decretorum gradus, qui tamen in DEO non sunt distincti realiter, quorum in thesi expressa est mentio facta. Tres priores profluunt ex πρόθεσει sive proposito DEI ordinante salutis principia sive media ex parte DEI: quatuor sequentes respiciunt medium ex parte hominis à DEO ordinatum, per quod ad terminum prædestinationis pervenitur, quod est donum Fidei justificantis veræ & perseverantis: ultimus finem prædestinationis & terminum, qui est salus æterna, spectat.

§. 2. Ex dictis patet, summam & primam prædestinationis nostræ causam esse misericordiam DEI & sapientiam, quæ admirabile justitiæ & misericordiæ temperamentum invenit. Gratiam hanc & misericordiam demonstrant loca sequentia, I. Tim. II. 4. *DEUS vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire.* Rom. XI. 32. *Concluſit DEUS omnes sub peccatum, ut omnium misereretur.* II. Pet. III. 9. *Non tardat Dominus promissionem, sicut quidam existimant,*

sed

sed est patiens erga nos, dum non vult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. Ezech. XXXIII. 11. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur & vivat.* His adde creationem omnium ad imaginem DEI Gen. I. 28. promissionem universalem de conterendo capite serpentino Gen. III. 15. dilectionem totius mundi Joh. III. 16. Atque hæc est decantatissima illa voluntas antecedens, quæ æqualiter se habet erga omnes homines, & considerationem obedientiæ atq; inobedientiæ humanæ præcedit, & categoricam DEI intentionem includit, omnibus mittendi Filium, omnibus adminicula gratiæ dispensandi, ut credant & salventur, ut, inquam credant, non: si credant. A qua est distincta voluntas consequens, sic dicta, non quod in DEO aliquid sit prius vel posterius, quâ rem, ab æterno, sed quod respectum obedientiæ & inobedientiæ humanæ subsequatur. Distincta, inquam, est, non vero contraria. Quanquam enim contraria sint volita, salus nempe, quæ antecedente voluntate est volita, & perditio quæ consequente, ipsæ tamen volitiones non sunt contrariæ, nec sese mutuo tollunt rescindunq;, quia non versantur circa unum idemq; objectum. Nam antecedens voluntas in objecto non attendit circumstantias: at consequens attendit circumstantias obedientiæ & inobedientiæ. Unde antecedens voluntas formaliter est indeterminata, velleitas

potius (efficaciſſima tamen ea) quam voluntas, implicat tamen virtualiter voluntatem: Volo, ut aut credant, aut pereant homines: Volo ſalutem omnium, ſi ſint; nolo. Quare hæc voluntas DEI includit formaliter complacentiam & eminenter voluntatem abſolutam & determinatam exiſtentem in DEO ex præviſione humanæ obedientiæ vel inobedientiæ: quæ divina complacentia manet, etiamſi contrarium DEUS conſequente voluntate velit v. g. tunc, quando DEUS vult hominem propter incredulitatem damnare, adhuc manet illa complacentia & deſiderium ſalvandi hominem, ſi incredulus non foret. Utriusq; voluntatis veſtigia licet colligere ex Regis exemplo, quod ipſe Chriſtus proponit, hoſpites quidem ad nuptias invitantis, ſed venire nolentes punientis Luc. XIV. Matth. XXII. Plura exempla videantur apud CL. Steuberum Miſcell. controv. Diſp. II. th. 36. ubi rem illuſtrat exemplo Medici, Magiſtratus, Patrisfamilias, Præceptoris, qui omnibus, quibus præſunt, benè cupiunt, eorumq; deſiderant ſalutem, cæterum contumaces rejiciunt. Adde clariſſima Scripturæ dicta Ezech. XXXIII. 11. 12. Matth. XXIII. 37. Marc. XVI. 15. 16. Eandem diſtinctionem inculcant Chryſoſtomus & Thephylactus ſuper cap. I. Eph. itemq; Damaſc. lib. II. de O. F. cap. XXIV. Sed de his vide Exercit. de Fat. Calv. §. 14. ſeqq. & 35. ſeqq.

§. 3. Amplius

§. 3. Amplius ex dictis §. 1. liquidum est, Christum esse fundamentum electionis respectu justitiæ & salutis merito suo partæ. Hic duo expendenda, satisfactio Christi Catholica pro peccatis omnium hominum etiam reproborum, & intuitus ejus satisfactionis, quæ DEUM impulit ut homines eligeret. Satisfactionem Christi universalem arguunt loca §. præced. adducta Gen. III. 15. Joh. III, 16. ubi universale remedium adversum ictus draconis infernalis proponitur, ostenditurq; Christum sua obedientia promeruisse toti mundo, hoc est omnibus & singulis eam gratiam, per quam solam vincitur Satanæ virus. Adde loca alia. Luc. XIX. 10. *Venit Filius hominis salvare, quod perierat.* Atqui omnes & singuli perierant. Ergo venit Filius hominis, ut omnes & singuli salvarentur. I. Joh, II. 2. *Christus est propitiatio pro peccatis totius mundi.* Esa. LIII. 6. *Conjecit* DEUS *peccata omnium nostrum in Christum.* Joh. XII. 32. *Omnes ad me traham.* Rom. V. 18. *Per unius justitiam exundat beneficium in omnes homines.* II. Cor. V. 15. *Unus pro omnibus mortuus est.* Gal IV 5. *Hos qui legi subjecti erant, redemit.* Coloss. I. 20. *Per Christum* DEUS *reconciliavit sibi omnia.* I Tim. II. 6. *Christus dedit semet ipsum ἀντίλυτρον pro omnibus.* Ebr. II. 9. *pro omnibus gustavit mortem.* I. Cor XV. 22. *omnes in Christo vivificantur, sicut omnes in Adamo moriuntur.* Rom. XIV. 15. *Ne esca tua*

illum perdito, pro quo Christus est mortuus. II. Pet. II. 1. *Qui Christum abnegant & accersunt sibi velox exitium, dominum, qui illos mercatus est, abnegant.* I Tim. IV. 10. *DEUS est σωτὴρ omnium hominum, maximè fidelium.* Hæc & similia loca universalitatem satisfactionis Christi evincunt. Quod de finali incredulitate solet objici, notandum, Christum efficaciter mortuum esse etiam pro iis qui pereunt, hoc est, morte sua tum pro peccatis eorum satisfeciſſe, tum iis promeritum esse salutem & gratiam Spiritus, per quam credere & salvari possunt. Sed hanc excludunt finali incredulitate & sic sangvinem Christi conculcant. Ebr. VI. 6. X. 26. 29. Neq; enim finalis incredulitas damnat, quia Christus pro peccatis non satisfecit plenè: sed quia plenam satisfactionem sic repudiat finaliter incredulus, ut nulla superſit spes veniæ in peccatis morienti. Dices: sic pro uno peccato geminam pœnam infligi, Christo nimirum & reprobis, quod injustum. Respondeo, non ideo puniri reprobos, ut duæ satisfactiones pro uno peccato exigantur, sed ideo puniri, quia unam satisfactionem noluerunt acceptare. Omnis pœna peccatis debita est inflicta Christo, sed hæc addita lex est, ut, cui mors Christi prodesse debeat, credat. Hanc qui non adimplet, satisfactionem ipse sua ingratitudine & incredulitate, quantum in se est, irritam reddit. Est quidem absoluta redemptio à conditione nem-

pe

peredemtori posita, non autem absoluta est à conditione redemtis posita, si velint redemtionis fructu potiri. Absoluta est & categorica DEI voluntas à nemine impedienda, ut redimantur omnes, sed conditionata, ut si ex redemtis aliqui non credant, damnentur. Est quippe redemtio quædam species emtionis, qua rem alienatam pretio recipio & quasi itetum emo. Quod si autem traditio rei emtæ impediatur, aut si ipsa res emta emtori vicissim se surripiat, id emtioni factæ nihil præjudicat. De Christi satisfactione Electionis fundamento §. 5. dicetur. Vide Exercit. cit. §. 20 seq.

§. 4. Neq; tantum Christus autor est salutis respectu partæ justitiæ, verum etiam ut causa efficens salutem per organa gratiæ. Hoc fine Christus etiam reprobis gratiam suam offert. Joh. I. 9. *Christus* dicitur esse *lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.* Dices: Johanni sermonem esse de luce naturali. At quales tenebræ, talis lux. Istæ non sunt naturales, Ergo neq; hæc. Præterea fructus incarnationis Christi lumen spirituale est, non naturale. Nec Johannes de luce naturali testimonium exhibuit, sed de luce spirituali. Tit. II. 11. 12. dicitur *illuxisse gratia salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, ut vivamus piè, juste, temperanter.* Act. XVII. 30. dicuntur notitiæ naturales à Deo concessæ gentibus, *ut DEUM quærerent.* Si ergo intentio DEI, notitias naturales homini concéden

dentis est, ut DEUM quærant, quantomagis id verum erit de gratia supernaturali? Esa. LV. 1. seqq. *omnes sitientes* jubentur *venire ad aquas* &c. Matt. XI. 28. *omnes laborantes & onerati* jubentur *venire ad Christum*. Joh. VI. 37 *Eum, qui venit ad Christum, ipse nequaquam est ejecturus foras*. Act. XVII. 30. *DEUS denunciat omnibus ubiq; hominibus, ut resipiscant*. Coloss. I. 28 *omnis homo admonetur, omnis homo eruditur omni sapientia, ut omnis homo sistatur, εἰς ἕκαστος* Act. XX. 31. Quo quid clarius dici poterat? Esa LVII. 1. Omnes invitantur ed epulas cœlestes, etiam illi qui venire nolunt Luc. XIV. 18. seqq. de quibus extat querela DEI apud Esaiam cap V. 3 4. *Quid est, quod ultra debui facere vineæ meæ & non feci ei?* Ex quo loco evidenter colligitur, DEUM in se nihil passum esse desiderari, quo minus omnes & singuli etiam reprobi converterentur & optata potirentur felicitate. Adde querelas similes Matt. XXIII. 37. Act. VII. 51. Jerem. VII. 13. seqq. Prov. I. 24. Esa. LXV. 2. &c. In Epistola ad Ebræos cap. VI. 4. X. 19. dicuntur etiam reprobi facti *participes Spiritus Sancti, quod* non esse de donis Spiritus extraordinariis intelligendum ipsa loci inspectio ad oculum demonstrat. Dicuntur enim *sangvinem fœderis, per quem fuerunt sanctificati, profanum ducere*. Deniq; nota consequentiam Apostoli Rom. IIX. 32. Cui DEUS Filium dedit, ei omnia est daturus. At reprobis etiam Filium

lium dedit. Ergo & his omnia est daturus, nem pe salutem æternam & quæ ad eam consequendam faciunt, ut sunt gratiæ gradus, quorum posteriores decreti sunt sub conditione non rejectorum antecedaneorum. Ex his patet Christum omnibus gratiam suffecturam offerre. Cæterum ordinarie offertur gratia per verbum & Sacramenta, imo confertur, si quis obicem non ponat. Quicquid enim est ministerium Spiritus & organon gratiæ potentissimum, id oportet conjunctam habeat gratiam Spiritus internam & ad conversionem convertendo necessariam. Atqui tale est verbum ejusq; ministerium, tale est sacramentum. Ergo oportet conjunctam habeant gratiam Spiritus internam & ad conversionem convertendo necessariam. Minor quoad verbi efficatiam clara est ex Rom. I. 16 I. Cor. I. 10. II. Cor. III. 6. 8. 9. X. 4. I. Thess. II. 13. Ebr. IV. 12. Esa. LIX. 21 Quoad ministerium verbi ex I. Tim. IV. 16. Matt. X. 20. Rom. XV. 18 Gal. II. 8. I. Cor. III 5. Quoad Sacramenta & in specie quoad sacramentum baptismi ex Tit. III. 5. Joh. III. 5. Gal. III. 27. 1. Pet. III. 20. Marc. XVI. 16. Eph. V. 25. I. Pet. III. 20. Act. II. 28. &c. Quanquam vero omnibus, etiam reprobis, offeratur gratia salutifera, non tamen hæc est irresistibilis. Positis enim omnibus gratiæ auxiliis, adhuc in hominis convertendi potestate est non converti. Liquidum id est ex Matt. XXIII 37. Act. VII. 51. Esa. LXV. 2. V. 1. seqq. Ezech. XII 2.

Matt.

Matt. XI. 21. Joh. V. 34. 40. &c. de quibus Exer. cit. §. 25. seqq. & 53. seqq. vide.

§. 5. Diximus, Christum esse spectandum in negotio præsenti, ut causam offerentem salutem per organa gratiæ omnibus hominibus, etiam reprobis. Neq; tamen hi electi. Unde consequitur Christum etiam esse spectandum in electione, ut causam salutis applicantem per fidem. Quia vero non quævis fides in electione locum habet non hypocritica & mortua, non item ea, quæ est τῶν προσκαίρων hoc est, eorum, qui à fide deficiunt, consequitur, Christum in electionis negotio esse spectandum ut vivâ firma & perseverante fide apprehensum, sive ut causam salutis consummante per fidem perseverantem. Bene CL. Hulsemannes Brev. cap. XV. thes. XI. *Non sunt heterodoxi S. Augustinus & alii, qui sentiunt: objectum prædestinationis esse hominem adhuc vocandum, sed consideratum in decreto* DEI, *tanquam non rejecturum gratiam vocationis si quondam efferatur, ad quam oblationem omnibus & singulis præstandam à sua parte* DEUS *paratus est Act. XVII. 30. 31. Is enim ordo constitutus est à* DEO, *ut nolit his, qui primam gratiam præfractè repudiarunt, majores gradus seu incrementa conferre Matt. XIII. 12. XXV. 29 Luc. XIX. 26. Quo sensu non malè à B. Augustino dicitur: Esse peculiarem quandam gratiæ speciem, quam* DEUS *electis præparavit, tanquam medium infallibile & proximum assequendæ salutis. Videlicet intensiorem gradum gratiæ sive majus incrementum, quod* DEUS *consequente*

quente seu vindicatrice voluntate justè denegat iis, qui primam gratiam rejecerunt. Quorsum enim daretur supremus ille gratiæ gradus, quam perseverantem dicimus προσκαίρεσις qui minorem gratiæ gradum, ducturum ipsos ad gradum majorem, petulanter excusserunt? cùm iste gradus gratiæ, quam habebant ex parte principii naturalis, solus sufficiens esset ad perseverandum in isto gradu inferiori, de quo & ipso quoq; recedunt. Nam posteriora talia sunt χείρονα τῶν πρώτων, deteriora prioribus gradibus gratiæ: & deteriora priori reatu corruptionis connata, quia melius istis fuisset, viam salutis nunquam cognovisse II. Pet. II. 20. Matt. XIII. 27. 28. Ad novam autem & graviorem tentationem superandam requiritur etiam major & intensior gratiæ gradus; ut patet exemplo juvenis à Christo dilecti ob sincerum studium pietatis, sed non satis robustum adversus tentationes perseverantiæ Marc. X. 21. 22. Hæc ille. Fundamentum decernendæ electionis esse Christum fide perseveranti apprehensum, docet Paulus Eph. I. 4. ubi dicimur *electi in Christo* hoc est, per Christum (vid. vers. 5. 6. 7.) *ante jacta mundi fundamenta*. Unde sequitur nos electos fuisse, quia prævisi eramus in eo, non tantum quia futuri in eo eramus. Deinde benedici in Christo est idem ac benedici propter Christum. Ergo etiam eligi in Christo est eligi propter eundem. Rationem connexionis ipse suppeditat Apostolus, cum dicit: benedixit nobis in Christo, καθὼς sicut elegit nos

in

in Christo. Deniq; electio dicitur in adoptionem electorum fieri. Quia autem adoptio sine fide in Christum nulla est Joh. I. 12. Coloss. III 26. sequitur, electionem non esse factam sine intuitu Christi, fide apprehensi. Adde II. Thess. II 13. I. Pet. I, 2. Rom, IIX. 29. Jac. II. 5. de quibus alibi. Summa, cujus interventu electi habemur & sumus in tempore, id in præscientia DEI positum facit, ut electi simus in æternitate. Atqui fidei interventu electi habemur & sumus in tempore. Ergo. Per quod homines in tempore discernuntur, ut alii sint electi & hæredes regni æterni, alii non sint, idem etiam objectum fuerit illius præscientiæ, secundum quam in æternitate facta fuit eorundem hominum electio & ab aliis separatio. Atqui per fidem. Ergo. Quemadmodum DEUS in tempore salvare, sic ab æterno salvare decrevit, hoc est, elegit. At sub conditione fidei DEUS in tempore salvat. Ergo sic ab æterno salvare decrevit. *Exsecutio enim est speculum decreti*, inquiunt Nassovii in Act. Syn. Dordr. pag. 551. Dices: decretum de salute non esse totum decretum prædestinationis. 2. non esse easdem causas electionis & salutis, electionem factam esse ab æterno sine causa instrumentali, esse DEI inorganicam & immediatam actionem, salvationem fieri per media &c. aut, si sunt eædem causæ electionis & salutis, sequitur, electionis causas esse legem DEI, Evangelium, Sacramenta & Verbi

fluit. Finge DEUM ab æterno intellexisse, si Petrum & Judam in hujusmodi ordine constitueret, futurum, ut Petrus credat & salvetur, Judas autem impœnitens moriatur, & postea absolutè elegisse sive voluisse Petrum in hoc, Judam in alio ordine collocare, sequetur, DEUM voluisse absolutè Petrum salvum, Judam non. Major enim in hoc syllogismo conditionata est, si Petrum in tali rerum ordine collocavero, salvus erit. At minor absoluta: Sed volo absolutè Petrum in tali rerum ordine collocare Unde sequitur conclusio absoluta: Ergo Petrum simpliciter & absolutè volo salvum. Imo sequetur, DEUM esse causam peccati. DEUS videt Judam peccaturum infallibiliter, si in talibus occasionibus ponatur. Atqui in talibus occasionibus eum ponere absolutè decrevit, quia simpliciter elegit totum hunc ordinem, qui jam decurrit. Ergo DEUS suo decreto causa est peccati Judæ. DEUS, cum prævidisset, si in tali ordine rerum poneretur Adam, peccaturum, si in alio, non peccaturum, elegit ordinem priorem Adæq; lapsum decrevit, Ergo omnino DEUS est causa lapsus Adæ. Rejicimus quoq; Pelagianos, Scholasticos, Pontificios aliosq; qui propter prævisa merita bonorum operum hominem esse electum docent. Bellarminus quidem lib. II. de grat. & lib. arbitr. cap. 9. statuit, *prædestinationis divinæ nullam rationem ex parte nostri assignari posse, &*

excludit non solum merita propriè dicta, sed etiam bonum usum liberi aut gratiæ, aut utrumq; simul à DEO *prævisum, etiamsi non dicitur meritum, sed tantum conditio sine qua non prædestinaretur is, qui prædestinatur.* At cap. XIV. subjungit quæ priora evertant. *Electionem* dicit *duobus modis considerari posse, primo ut est intentio dandi gloriam, secundo ut est dispositio executionis & quasi executio in mente divina. Priore modo electionem esse merè gratuitam & nullam prærequirere operum prævisionem Item, quoad voluntatem executionis* DEUM *elegisse ad gloriam ex prævisione meritorum humanorum.* Bellarminus electionem negat pendere ab operibus & meritis prævisis. Quod verissimum est. Neq; enim electio dependet ab ulla hominis prærogativa aut à prævisis operibus, aut à congrui & condigni meritis, aut à præscientia bonæ voluntatis & usus boni liberi arbitrii, aut à velle prædagogico, aut à potentia credendi & non credendi. Objectum electionis est homo, ut in statu post lapsum vocatus & non tejiciens gratiam omnibus oblatam. Ista non rejectio *non habet* respectum meriti humani, propositi laudabilis, conditionis condignæ, propter quam hic homo eligatur excluso alio, sed tanquam effectus gratiæ prævenientis, quæ homini impertit facultatem non resistendi, cui gratiæ qui subjicitur, habet secundum promissionem DEI, Habenti dabitur (non ergo propter sua merita) gratiam majorem

jorem. Sic fides prædestinationis decretum ingreditur, non sub consideratione dignitatis suæ, ob quam homo credens sit electus aliis præteritis (quod contra Arminianos notandum) aut meriti alicujus, sed ut medium necessarium ad apprehensionem unius meriti Christi, cujus vi homines electi sunt. Cæterum considerationes electionis Bellarminianæ fundamento Scripturarum destituuntur. Electio enim nuspiam definitur nuda intentione dandi gloriam, sed semper includit τάξιν mediorum: nec alia est electionis ad gloriam ratio, alia ad gratiam, quasi hæc gratuita sit non illa. Utraq; gratuita est. Sed memineri-mus, gratiam DEI opponi nostris meritis & operibus, non autem fidei in Christum.

§. 6. Eorum, qui cum Hubero electionem definiunt voluntate DEI antecedente & consequenter omnes electos esse docent electione propriè dicta. Vide CL. Hutterum in For. Concord. pag. 116. seqq. 1153. seqq. Calvinianorum item, qui decretum reprobationis absolutum esse docent, & distinguunt inter actum reprobationis positivum & negativum, dicentes, causam reprobationis negativæ esse absolutam DEI voluntatem, positivæ peccata: distinguunt item inter causam reprobationis simpliciter & comparate, dicentes, causam reprobationis simpliciter esse peccatum, at non comparatè. Verum quia Scriptura non facit aliam causam reprobationis

negativæ aliam positivæ, nec aliam facit causam reprobationis simplicis, aliam comparatæ (Scriptura enim has distinctiones nescit) ideo merito Calviniani aliiq cum suis sententiis & distinctionibus rejiciuntur. Vide Exercit. de Fat. Calv. §. 43. seqq.

COROLLARIUM.

SUperibus Exercitationibus status Ecclesiarum in Anglia ex Honorio Reggio propositus Corollaria constituit, additis nonnullis de statu Ecclesiarum in Wallia, Scotia & Hibernia depromtis ex opusculo quodam Anonymi edito anno 1654. cui titulus: De hodierno statu Ecclesiarum in Anglia Wallia, Scotia & Hibernia Narratiuncula. Particulam hujus Narratiunculæ priorem, quæ Angliam concernit, excerpere & in usum studiosæ juventutis hic subjicere placuit.

QUale fuerit Regimen Ecclesiarum in Magnâ Britanniâ ante postremum hoc Bellum Civile, ex multis eâ de re publicatis Scriptis, præcipuè verò, ex receptâ illarum Liturgiâ, satis constat. Notandum tamen maximè est, etiamsi illæ semper per Archiepiscopos, Episcopos, & ejusdem generis subordinatos mystas alios constitutæ & administratæ fuerint, fuisse nihilominus, jam indè à primis Reformationis temporibus, partem aliquam piam & conscientiosam,

quæ

quæ Constitutiones Ecclesiasticas ibi non satis puras, & publicum Religionis cultum in multis rebus Papisticæ superstitioni adhuc nimis conformem querebantur, atque ideo pleniorem Reformationem, secundum verbum Dei, adinstar Genevensis & aliarum trans Mare Ecclesiarum, optabant, totamque Hierachiam Episcopalem, ut nimio fastu & potentiâ intolerabilem, sublatam cupiebant.

II. Hoc genus hominum, ut non modò sibi, verùm etiam ipsi Regiæ Majestati & Monarchiæ inimicos, sub Elisabetha & Jacobo, sub exoso *Puritanorum* nomine, variis modis persequebantur Aulici & Episcopi: ne tamen illos, pro lubitu, unâ vice opprimerent, fecit Regum illorum tepiditas & pacis studium; artes igitur alias, & magis secretas adhibebant, quibus eos paulatim extirpare conabantur, quod & in Scotiâ, ante mortem Jacobi, propemodum jam effectum dederant.

III. Postquam verò Rex Carolus (qui ipse aliquandiu in Hispaniâ fuit Regis filiam ambiens, postmodum autem uxorem aliam ejusdem Religionis Papisticæ ex Gallia duxit) ad Rerum summam pervenisset, Hierarchici, à Pontificiis, (qui tunc plurimum in Aula poterant) instigati, prædictos *Puritanos* totis viribus sunt aggressi, & ut eos eò commodius exturbarent, arctiorem aliquam unionem & syncretismum cum Romanâ

Ecclesiâ moliebantur, cujus negotii promovendi ergo, Pontifex Romanus Nuntios suos Georgium Coneum, Pantzani, & alios, in Angliam & Aulam Regiam ablegaverat.

IV. Quod opus ut eo felicius succederet, *Wilhelmus Laud* Archiepiscopus Cantuariensis ultimus, homo superstitiosus & atrox Puritanorum hostis, gravem contra ipsos persecutionem movit, & conscientias piorum variis novitatibus, juramentis, Constitutionibus (imprimis Juramento *& cetera*, profanatione Sabbati, atque Liturgia Scoticâ) oppressit.

V. Cum vero Puritani talia per conscientiam amplecti non possent, & vero Hierachici per vim eos ad uniformitatem cogere vellent, plerique ipsorum, magis magisque ab Ecclesiâ Anglicana abalienati sunt, tandemque omnino separationem & Schisma fecerunt, dicti inde *Non-Conformistæ*, *Separatistæ* & *Brownistæ*.

VI. Hoc facto magis irritati Hierarchici, Regem ad persecutionem inflammarunt, à quo multi Pastores Ecclesiis exuti, alii in carceres conjecti, ære & corpore mulctati, atque etiam exulare jussi sunt. Eorum pars in Hollandiam & Geldriam, alii & longè plurimi, in Americæ Septentrionalis eam regionem, quæ hodie Nova Anglia dicitur, colonias duxerunt, ac Ecclesias complures particulares fundarunt, quæ in dogmatibus fidei cæteris Reformatis ferè per omnia simi-

similes sunt, in gubernatione aliquantum discrepant, quippe nulli alii Ecclesiæ, præterquam illi, cujus membra sunt, obnoxiæ, unde etiam *Independentes* appellabantur.

VII. Cum verò Parlamentum nuper Reformationem suscepisset, primo omnium Episcopos & totam Hierarchiam atque Liturgiam abrogarunt: deinde Synodum Nationalem convocarunt, à quâ *Directorium*, *Confessio fidei*, *Catechismus*, *parvus & Magnus*, *publicata*, & à plerisque per Britanniam Ecclesiis suscepta sunt: quanquam in Angliâ nemo cogeretur, ut id faceret, sed libertas cuivis relinqueretur: In Scotiâ verò renuentes Ecclesiasticis censuris, iisq; gravibus ad subscriptionem & approbationem compellebantur.

VIII. Quoniam verò Parlamentum abrogatâ Hierachiâ Episcopali, non statim novam Ecclesiæ gubernationem constitnit (quod propter civile bellum & varias Senatorum sententias fieri non potuit) hinc libertas cuilibet conscientiæ relicta, quæ mox in licentiam & Sectas quamplurimas degeneravit. Nam velut aggeribus ruptis universam Angliam diversæ circa Religionem opiniones inundarunt. ac quot ferè capita tot sententiæ erant: quisque sibi, in fide & Religione Dux & Author: ita factum ut plurimi vana commenta sua pro fidei articulis publicarent, ac tum demum sanctissimos se arbitrarentur, ubi quàm longissimè ab omni Ecclesiastico Ordine recessissent.

IX. Sed duæ inprimis factiones præpotentes emerserunt, in fide quidem concordes & Orthodoxæ, sed in Ecclesiastico Regimine discrepantes, non tamen diametraliter, *Presbyteriani & Independentes.* Nam quicunque Directorium susceperunt, & Ecclesias per Pastores & Presbyteria, hæc per Classes, Classes per Synodes Provinciales, has per Nationales gubernabant, *Presbyteriani* dicebantur: Qui vero Directorium non susceperunt, *Independentes* vocati fuerunt, ipsi se *Congregationales* appellabant.

In quo Presbyteriani & Independentes conveniant & discrepent.

CONVENIUNT. I. In Confessione fidei & articulis Religionis omnibus, ac nulla inter eos & Reformatos transmarinos alicujus momenti discrepantia est.

II. Utriq; Ecclesias particulares gubernant per Presbyteros, tum *docentes* (qui Pastores) tum *Regentes.*

III. Jus vocandi ministros apud utrosque penes Ecclesiam est.

DISCREPANT. I. *In constitutione Ecclesiarum particularium. Presbyteriani* quosvis, qui non in aperto scandalo & impietate vivunt, tanquam membra Ecclesiæ suscipiunt, & numero potius, quam delectu gaudent. *Independentes* strictiores & rigidiores sunt in membris Ecclesiæ admittendis, & positivam ac visibilem sanctitatem requirunt.

II. In

II. *In Gubernatione.* 1. *Presbyteriani* Ecclesias suas habent in templis publicis : *Independentes* partim in templis (quæ per contemtum à quibusdam vocantur *Steeplehouses*) partim in privatis ædibus aliisve locis.

2. *Presbyteriani* ad Sacram Cœnam admittunt quosvis sibi notos, si scandalo aperto careant, nec aliud ab ipsis testimonium (nisi peregrini sint, aut primâ vice accedant) petunt. *Independentes* eos tantùm, quos noverunt (quantum ex visibili & externâ conversatione judicare licet) non tantùm sceleris puros, verùm etiam vitæ integros, in divinis Scripturis & rebus Theologicis probè versatos, cujus documenta tum precibus, tum interpretatione Scripturarum coram Ecclesiâ ediderint. Celebrant autem Independentes Sacram Cœnam vel singulis Dominicis vel rarius.

3. *Presbyteriani* eos tantùm ad publicas conciones habendas admittunt, qui operam dederunt literis, linguis & Theologiæ, ab Ecclesiâ ad ministerium legitimè vocati & solenniter ordinati sunt : idque his argumentis : *Sanctum non esse profanandum : nec ante currendum vel prophetandum quàm quis vocatus sit : omnia ordine & decenter in Ecclesiâ fieri debere : Deum quosdam dedisse Apostolos, alios Evangelistas : metuendam confusionem & sectas atque hæreses ex promiscuâ illâ licentiâ.* *Independentes* autem quosvis ad prædicandum admittunt, qui dona habent & impetum, unde in-

ipsorum Ecclesiis plures ordine suggestum ad-scendunt & scripturas interpretantur, precesque habent ad populum. Et hi dicunt: *Vocationem ad ministerium internam à Deo, & non externam vel ab hominibus esse: Tales etiamsi non in Scholis, tamen à Deo doctos: Scholasticam eruditionem non sufficere ad ministerium, nisi interna vocatio accedat: Hanc causam, illam tantum ornamentum & instrumentum esse: Spiritualia nemiuem posse comprehendere, aut docere, nisi spiritualiter & à Cœlo doctum: Deum sua dona non alligare certis hominibus, sed sine respectu personarum vel externæ vocationis, quibus velit, largiri: Verbum Dei esse clarum simplexque: Deum elegisse contemtibilia mundi, ut sapientiam hominum confundat: Ea nunc instare tempora, quibus Deus Spiritum suum in omnem carnem effundat, & universam terram sui notitiâ impleat. Imminere Judæorum & gentilum conversionem, ac propterea relinquendam suam Spiritui Sancto libertatem, nec cursum verbi Divini impediendum, aut dona Dei ut lucem sub modio occultandum: Quemlibet teneri ad propagationem gloriæ & cognitione Divinæ: Solum Deum esse καρδιογνώστην.* &c.

4. Presbyteriani Ecclesias particulares subjiciunt Classibus, Classes Synodis Provincialibus, has Nationali, eamq; subordinationem Juris Divini, & Decreta Synodorum leges necessario su-

scipien-

scipiendas faciunt : *Independentes* quamlibet Ecclesiam particularem sui juris, nulli alii subjectam statuunt : neminem fidæi suæ rationem reddunt, nisi illi, cujus membra sunt, Ecclesiæ : Magistratui autem in casu blasphemiæ, turbatæ Reipublicæ, aliisque civilibus rebus jus suum relinquunt. Habent etiam Classes sive associationes & Synodos, quibus consultandi & persvadendi, non imperandi & decernendi ac decidendi potestatem tribuunt. Ideoque Classes & Synodos approbant, quoad Consilia, improbant quoad Jurisdictionem : humanum Institutum fatentur, Divini juris esse negant.

Quanam præterea sectæ sub Independentium nomine lateant.

PRopter hanc libertatem, quam *Independentes*, uti dictum est, in rebus Ecclesiasticis sibi arrogarunt, communiter etiam illis (sed perperam) accensentur Sectarii & fanatici reliqui, quorum numerus (proh dolor!) adhuc hodie nimis magnus est in Angliâ. Præcipui & fortassis etiam optimi sunt *Anabaptistæ*, qui quantum ex publicâ eorum confessione colligere licet, longe puriores & moderationes sunt, quàm alibi, ac in plerisq; capitibus fidei cum Orthodoxis consentiunt, solo ferè pædobaptismo excepto, in quo cùm contra Rem ac pacem publicam non pecceut, Sacramentiq; dignitati nihil detrahere, sed potius addere se dicant (quòd non nisi adultis & qui illud condignâ reverentiâ recipere possint, applicatum velint)

velint ideò facilimè tolerantur : Cæterùm Magistratum agnoscunt, bellum contra oppressores libertatis & conscientiarum legitimum gerì posse statuunt, sed negant Religionis propagandæ ergò gerendum. Conscientias cogi nolunt, sed persvaderi. Inprimis libertatem prophetandi urgent, quâ cuilibet, qui instinctum Spiritus Sancti sentiat, & dona necessaria habeat, licitum sit docere alios & concionari : Unde ultimum Parlamentum abrogationem totius Ministerii, sublatis decimis & parochiis moliebatur, ac cuilibet potestatem dari prædicandi volebat.

Proximi sunt *Antinomiani*, qui Vetus Testamentum tanquam jam completum & abolitum rejiciunt, & solum Novum Testamentum amplectuntur. In concionibus non nisi absolutam Dei gratiam & Evangelium, sublimia & spiritualia omnia (Seraphicorum more) prædicant, legem vero & Censuras omnes Ecclesiasticas, ut Mosaicæ Pædagogiæ propria, refugiunt.

Adhuc fortius errant *Antiscripturiani*, qui totam Sacram Scripturam rejiciunt & dicunt, *Eundem se Spiritum cum Prophetis & Apostolis habere.* Quare omnes libros & eruditionem spernunt, ac conciones & Ecclesiastica exercitia rejiciunt, solo Spiritu contenti. Sed hi non sunt adeò numerosi.

Hos sequuntur *Shakeri*, sive *Quackeri*, omnium Enthusiastarum colluvies. Hi putant se jàm in hàc

hac vitâ planè perfectos, & ab omnibus peccatis mundos, nec aliud cœlum quam quod in corde suo sentiant, vel infernum, quàm homines malos credunt. Nihil igitur restare, nisi ut corpore velut carcere liberentur. Frequenter in tantas incidunt ecstases, ut toto corpore contremiscant, quia, ut perhibent, magnitudinem illam lucis & splendoris Divini, quo obruantur, perferre nequeant vel intra se continere: & tàm horrendum clamant ac reboant, ut homines pariter atque bruta animantia inde terrore exiliant. Postquam excussus raptus & ad se redeunt, de immensa gloriæ illius Majestate multa & magnifica jactant, ignaro populo summâ admiratione auscultante & similem beatitudinis sensum exoptante. Sed & hi non ita pridem in Walliâ, ubi maxima eorum erat copia, publicè pro concione, errorum & Diabolicarum abominationum convicti, bonis omnibus odio & abominationi esse incipiunt, nec dubium eos brevi exterminatum iri, modo Magistratus aliquanto severius in eos animadverteret.

Ranteri omnium turpissimi & impientissimi sunt. Hi non aliam agendorum Regulam habent quàm propriam libidinam ac pravam voluntatem. Quicquid naturale est, idem esse à Deo, ac necessario bonum putant. Sed hi, quoniam omnem honestatem, ac pietatem pariter fundituùm evertunt, in publico nullibi tolerantur, ut opiniones suas aliis venditent, sed ubicunque deprehen-

prehenduntur, in carceres compacti, libertate & corpore plectuntur.

Sunt etiam hinc inde varii fanatici, qui ad certum genus referri nequeunt, & potius defectu sanæ mentis & morbo hypochondriaco, (in natione tam Religioni addictâ,) quam hæresi aliquâ laborant: Quales illi duo, quorum alter se Mosen, alter Aaronem dicit, nec minorem sibi potestatem quam verus ille Moses & Aaron habuerunt, attribuunt. Sed hi jam dudum libertate privati, stultitiæ suæ pœnas luunt. Alius apud Grenovicum in spelunca sive caverna toto corpore nudus degebat, qui se ab omnibus peccatis purum putabat, atque ideo vestes tanquam peccatorum tegetes rejiciebat, alique similes commiseratione quam pœna digniores.

LEVELLERII Politica potius quam Religiosa sunt factio, Status Democratici, vel potius Anarchici, studiosissima: Leges Naturales, seu, ut illi loquuntur, fundamentales gentis, præcipuè urgent, quibus cuivis homini potestas æqualis in Rembubl. ejusque administrationem data sit, nec alium alteri superiorem aut inferiorem honore vel opibus esse debere, sed omnia æqualia & quasi communia habenda. Hi maximi sunt Magistratus hujus hostes ac satis numerosi: Eorum primipilus est Johannes Lilburn, homo plebejus & factiosus, Authoritati suorum superiorum semper contrarius, & multarum turbarum in Anglia author.

Sub-

Subnectit autor, quomodo se Magistratus ergo Ecclesias gerat.

Nempe I. non permittunt, ut Ecclesia negotiis Reip. se immiscear.

II. Ecclesias orthodoxas, earumq; Pastores sive Presbyterianum regimen sive Independens amplectantur, publicis stipendiis fovent; reliquas sectas tolerant, & sive publicè sive privatim conventicula celebrare permittunt, hac tamen lege: ut solum verbum DEI normam fidei & vitæ amplectantur, ac sine offensa erga Rempubl. & proximum vivant.

III. Leges latæ sunt pro legitima observatione sabbathi, contra blasphemias, superstitiones, imprimis ad Papismi extirpationem.

IV. Academias reformant, in quibus nolunt regnare Scholasticas opiniones: Visitatores Ecclesiarum per Angliam constituunt.

V. Confirmatio matrimonii penes Magistratum est: Liberum tamen est cuilibet vel à solo Magistratu, vel à Pastore, presente Magistratu & potestatem dante, copulari.

VI. Summus scopus Magistratus est, res ad fidem spectantes conscientio & arbitrio cujusq; permitere: ideo in sacris nec præcipiunt quicquam nec prohibent, sed solum externam disciplinam tuentur, ne quis blasphemias & impietatem exerceat, aut Rempubl. perturbet.

VII. Inprimis conantur Presbyterianos & Independentes ad mutuam pacem & tolerantiam adducere &c.

In his judicium penes cordatum Lectorem esto.

Præstantiss. & pereximio

Dn. Respondenti SS. PP.

Flgki, noster amor, qui te prædestinat altis
Eximiiq; boni, fallitur ille nihil.
Altis eximiisq; bonis tua dedita mens est,
In mysteria vim maxima mentis habes.
Perge Crameriadum vestigia sancta meare,
Altum tam nihil est, quin penetrare queas.

Scrib. amoris monum.

Joh. Georg. Dorscheus, D.

APPENDIX
EXERCITATIONUM
IN
FORMULAM
CONCORDIÆ.
Exhibens
CONFESSIONEM
LUNEBURGENSEM.

Lector Benevole.

QUoniam alicubi moris est, ut, qui in ordinem Ministrorum Ecclesiæ cooptantur, mente manuq; ad observantiam Confessionis Luneburgensis semet obstringant, ne ignorantiæ locus esset, hanc Confessionem sub finem Exercitationum in Form. Concordiæ duximus repræsentandam. Quod tibi non displiciturum confidimus. Vale in Christo, & rempie rectèq; gere.

Erklerung aus Gottes Wort / und kurtzer Bericht / der Herrn Theologen / welchen sie der Erbarn Sechsischen Stedten Gesandten / auff den Tag zu Lüneburgk / im Julio dieses 61. Jahrs gehalten / fürnemlich auff drey Artikel gethan haben.

Was das Corpus Doctrinæ belanget / darbey man gedenckt zu bleiben.

Von der Condemnation streitiger Lehrpuncten und Secten.

